

STUDENTES

*Sive*

COMOEDIA

De vitâ

*Studiosorum*

Autore

IGNOTO PEERDEKLONTIO



Alentopholi.

*In Edibus Iberiorici Nobilissimi*

CLC IC XLVII.

AD LECTOREM

**Q**uod personati calcant pro-  
scenia Patres,  
Et cupiunt ficta nomina voce  
tegi.

Nolumus ultrici vindictam su-  
mere Musas

Prodere dum saeculi crimina, cri-  
men habet:

Vinctaque libertas calamis jam  
scribere nescit:

Ipsaque non aliter fabula debet  
agi.



# PROLOGVS.

**I**ngens mei tenet vos admiratio  
Hic quotquot adestis, spectatores opti-  
timi.

Tantum laborem sponte quod suscepe-  
rim.

Multi me cupidum laudis, multi audacu-  
lum

Vocabunt, operam subsannantes pluri-  
mum

Auresque in altum cervino more arri-  
gent,

Si quid possent vitiosum deprehendere.

Nam sæpe parvum erratum obfuscat op-  
tima,

Vitiaque plus quam virtutes sunt obvia.

Sed hi me nil movent, nec hujus fecerim.

Quia omni omnibus placere non est res  
levis,

Quod nemo præstabit, nec unquam præ-  
stitit.

Verum tamen mihi firmiter persuadeo

Amari me à multis, quibus paucissimis

Exponam, cur aggressus sim provinciam

Scribendi, diligenter animum advortite.

Præfa-

# PROLOGVS.

Præfabor id primum, vagum fuisse me  
Aliquam diu per orbem, & admovisse  
clam

Aures cubiculis omnium mortalium.  
Scientia hac ego cum prodirem in publi-  
cum

Quotidie, valui ejus rei specimen dare,  
Sine tamen alicujus famæ dispendio:  
Nam servare incruentum decrevi sty-  
lum.

Videbam meretricibus operam Opyce-  
phalos

Dantes & nihilominus tamen se pro piis  
Obtrudere imperitæ plebi, publicis

Apud illam concionibus, videbam item  
Isgeestos garrulitate sua cunæti graves.

Et quamvis patriæ non excedam limites,  
Scelestos si enim erarem deficeret dies.

Patria autem ( ut de me quiddicam ) Di-  
tillia est.

Fælix fluminibus & lacubus ut & mari.  
Ea est quæ rejecta in borealem polum,

Aquisque suis quasi ab orbe abscissa, ma-  
xima

## PROLOGVS.

Exercet cum orbe classibus commertis :  
Et si orbem haud recipit, saltem orbis  
compendium est.

In hac frequentia educatus, libere  
Diu vixi & mihi : donec consortiis  
Tandem hominum me nimis impruden-  
ter miscui.

Nec acerbitas fati mei in eo constitit,  
Puer pœne exilium passus sum, & inno-  
cens

Reverâ, in non meliora tempora incidi,  
Quam Marius cum prosciberetur aut  
Cato.

Fugiendum per nives fuit, non addo quid.  
Tot devoratis miseriis tranquillior  
Dies affulsit, inde mutati fidem  
Vix ipse cæpi status, & liberius dedi.  
Operam Musis, sic transacta est vita ha-  
ctenus.

Hæc volui : ut, quisquis hic vitam suam  
legit,  
Meam haud ignoret, sed ad rem, ne pro-  
lixior

Sim, cum viderem tot mores, totque sce-  
lera,  
Depinxi

*P R O L O G V S.*

Depinxi in exigua tabula, ut ipse horream  
Ad ejus aspectum, & eum consortium  
Seducit improbum alterum teterrimæ  
Pestes Juvenum ludi, venusque, & otium  
Avellit à Tritoniæ sacrariis.  
Sic igitur exhibebit hæc comædia  
Rixantes, pædicones, gravidas & senes,  
Vomentes, ebrios, lurcones, hospites,  
Cinædos, tenebriones, mulierarios,  
Quapropter adeste animis & cum silentio  
Attendite, ut æqui sitis posthas judices,  
Nunc argumentum dicetur comædiæ.

**IN-**

# INTERLOCUTORES.

Philargyrius	} senes	Euprositus pater	} puella
Eubulus		Eleutheria mater	
Philostorgus			
Philomates	} filius	Philargyri	
Acolastus		Eubuli	
Isgeestus		Philostorgi	
Colax	} Studiosi	Præceutes, præceptor	
Myspoteles		Phrontistes, famulus	
Philostasius		Danista, hospes	
Mysopolus		Deleasthisa, puella	
		VValones	

INTERLOCUTOR

Epiphany	} Lent	Epiphany
Epiphany		Epiphany
Epiphany	} Holy Week	Epiphany
Epiphany		Epiphany
Epiphany		Epiphany
Epiphany	} Study	Epiphany
Epiphany		Epiphany
Epiphany		Epiphany
Epiphany		Epiphany



**P**hilargyrus quamvis divitiis affluens  
 Aegre persuasus à vicinis proximis  
 Philomathem filium cum ipsorum filiis  
 Ad studia misit liberalium artium,  
 Qui manibus & pedibus dans operam literis  
 Ad summa doctrinæ peruenit culmina.  
 Sed Acolastus & Isgeestus pravis confortiis  
 Dum sese adiungunt, corrumpuntur funditus  
 Per Colacem, per Philostasium & per Myspolū.  
 Isgeestus ludo, crebris potationibus,  
 Profundit immensam statim pecuniam,  
 Conflavit æs alienum, fecit nomina.  
 Acolastus deleasthisam Euprofiti filiam  
 Deperit, absente patre vitians virginem,  
 Promittit se ducturum in uxorem domum,  
 Ex quo gravidam factam cum mater filiam  
 Cognovit, rem suo marito detegit.  
 Qui contumeliam hanc ferens ægerrime  
 Acolastum cogit ut vitiatam filiam  
 Ducat fidemque seruet, sancte quam dedit,  
 Eubulus autem tota re per literas  
 Comperta, mox illuc iter ad gnatum facit,  
 Pessundat filium, reluctatur, negans  
 Hunc jure cogi posse ut ducat virginem.  
 Ille instat, proscindunt se multis scommatis.  
 Tandem à Philostorgo persuasus, filio  
 Dat hanc in uxorem, celebrantur nuptiæ.  
 Isgeestus vero dolo patrem circumvenit,  
 Emungit argento, se febre dictitans  
 Laborasse, & Danistæ dat pecuniam.

STUDENTES  
ACTVS I. SCENA I.  
PHILARGYRUS, EUBULUS,  
PHILOSTORGUS.

*Trimetri.*

**D**ies & noctes stimulus hic me plurimum  
Urget, nec somnum oculis nocte hac vidi,  
Adeo me sollicitat gnatus, dum vult sibi  
Sumptus dari, ut ingenuis vacaret artibus,  
Et ut varios hominum mores cognosceret,  
Sed nimis ingentem poscit vim pecuniæ,  
Quam vix labore permagno & sudoribus  
Immensis potui corradere, consumeret,  
Et perderet, nunc ut sunt adolescentuli,  
Amori indulgent plærique meretricio,  
Sudores incassum profundunt patrios  
Potando ad multam noctem, ludo, & cæteris  
Rebus, quæ profus animum suspendunt meum.  
Nam pauci consequuntur nunc scientiam,  
E. millibus multis vix ut centesimus  
Optatam studiorum possit metam consequi.  
Sed Eubulum & Philostorgum video procul  
Aduenientes, adibo & amice colloquar.  
Salvete plurimum. E V B. immortales gratias  
Habemus. Sed quid adeo es tristis? aut quid est  
Animum male quod habet tuū? contracta frons  
Etenim signum est mœroris. Enarra quid est?  
PHI. Nostin, gnatum meū Philomathē maxumū  
Natu? E V B. Bene equidē. Sed, quid is peccavit, aut  
Quid commisit? PHI. Nihil, causam mox audies.

Is ab ineunte ætate flagrans quam maximo  
 Studiorum amore, ingenuis semper artibus  
 Incubuit, ut inde divelli nullo modo  
 Posset, quod in primis quidem placuit mihi.  
 Omnes me mirifice efferebant laudibus;  
 Quod gnatum haberem tam diversis dotibus  
 Animi exornatum, qui non cæteri ut solent,  
 Illecebris deditus blandis libidinum,  
 Obnixè sed qui studiis operam poneret,  
 Voluptatem spernens, fugiens consortia  
 Mala, quæ corrumpunt mores castos & bonos.  
 Quam mihi placebã, quam mihi adulabar miser,  
 Vno ore omnes beatum quod me prædicant.  
 Nunc miser, exanimis, vix vitalem spiritum  
 Duco, adeo me exanimavit & perterruit.

PHILOS. Vno verbo eloquere, quid est quod te  
 Habet? quid tã longis opusest ambagibus? (male

PHIL. Mox audies, heri ad me venit, clamitans  
 Pater, non possum inter beanos vivere,  
 Idcirco me mittas in quandam Academiam,  
 Ut possim aut philosophiæ studio operam dare,  
 Quam Tullius vitæ ducem recte vocat:  
 Aut animum ad jungere ad juris scientiam,  
 Quia conservatur vitæ nostræ societas:  
 Aut ad sacro sanctam, si vis, Theologiam,  
 Quæ nobis ad salutem æternam viam aperit,  
 Docens, quibus vestigiis insistere  
 Oporteat, Vitam nobis ut conferat  
 Æternam cœlestis pater, propter necem  
 Gnati unigeniti, qui pro nobis mortuus  
 Iam placuit, & cælo nos intulit.

S T U D E N T E S

Ne in eodem ( ut ajunt ) luto semper hæream.  
 Ad unguem nam triviales artes ( quas vocant )  
 Perdidici , in his puerilibus ne conteram  
 Ætatem , ad altiora ut possim emergere.  
 Quæ postquam dixit , horror corpus concutit,  
 Ac, velut attonitus, verbum nullum proloquor.  
 Nam si dixisset : excelsa ab rupe in mare  
 Te mox præcipitato : tulissem equidem facilius.  
 Vnde etenim tanta vis argenti mihi foret?  
 Aut vnde tantos sumptus gnato suggeram?  
 Cum vix in singulos dies corradere  
 Tantum possim, quantum quotidie infumimus.  
 Nam sumptuosa & manifesta mihi est domus.  
 Qua propter tot curæ, tot & molestiæ ( hunt.  
 Me vivū ad mortē adigunt , ac in diversum tra-  
 Hic gnatus poscit inauditam pecuniam,  
 Illic uxor , preciosas vestes expetit.  
 Hic ager , hic rursus est colenda vinea.  
 Hic ædes extruendæ , illic & villula.  
 Hæ sunt furia , quæ me vexant miris modis.  
 Sinistro Iove me natum ut, Eubule, autumem.  
 EVb. Næ tu videris mihi stultus & iners homo.  
 Qui currentem moraris , & non incitas.  
 Tute tuum perdis filium , tu consulis  
 Male tuo gnato, accensum studio dum impedis.  
 Tu grave ( crede mihi ) supplicium Phylargyre  
 Lues. Virorum doctorum sit raritas  
 Quanta vides , tu quem debueras impellere,  
 Non impedis solum , sed & fegnem facis.  
 Tenacitatem istam probare non queo,  
 Præsertim cum tantis abundes copiis.

Profecto pistrino dignus, dum posthabet  
 salutem gnati divitiis pessimè tuis,  
 Quarū ususfructus, non dominium, tibi datū est,  
 Quid, obsecro, Dominus qui nutu concutit  
 Totum mundum, & qui te his præposuit copiis?  
 Quid inquam proderunt, cum te vocaverit  
 Ex hoc vitæ curriculo? postquam munere  
 Tuo perfunctus auferes non ne nummulum?  
 Quare laboras igitur ut opes colligas?  
 Præterea, rationes cum tecum conferet,  
 Damnatum supplicio te mulctabit gravi,  
 Te his quoniam proposuit, ut non absconderes,  
 Sed ut indigenti subvenires proximo.  
 Cedo, canis, quid facies inopi proximo?  
 Qui non ad studia literarum suggeris  
 Sumptus tuo gnato; quare Themisthocles  
 Recte dixit se malle sine pecunia  
 Virum, non inopem sine viro pecuniam.  
 Cujus ego suffragor lubens sententiæ:  
 Quid enim opes tibi profunt, uti cum nescias?  
 Ego omnem hercule converterem substantiam  
 In studia filii, verbera sed non facit  
 Tanti, ne dum verbis ut vellet obsequi.  
 Quare age, commune tu perpende commodum,  
 Et sumptus suppedita studiis gnati tui.  
 Vides etenim quam nequeat sine doctis viris  
 Communis conservari vitæ societas.  
 Hi primum dispersos altis in montibus  
 Ferarum more viventes homines feros  
 Per leges latas instigarunt, mœnibus  
 Novas urbes cinxerunt, tuti ut viverent

STUDENTES

A violento iucursu exterarum gentium.  
 Sed legibus malorum ut vim compescerent,  
 Per hos eadem servatur parta societas.  
 Quare si vis, una gnatum mittam meum.  
 PHIL. Obrundis, & molestis verbis me enecas  
 Perinde quasi ego vitam horum non noscerem,  
 Nam postquam miseros patres verbis lenibus  
 Emunxerunt argento, quævis facinora  
 Admittunt, sub prætextu honesti nominis.  
 Scortantur, potant indies, & quoslibet  
 Tumultus excitant, in ædes impetum  
 Alienas faciunt, hinc cædes, hinc jurgia,  
 Pedissequas rapiunt in publica via,  
 Aut cum natabus concumbentes civium  
 Fidem dant, & velint eas quod ducere,  
 Promittunt, id quod & impregnatae postulant.  
 Atqui quod magis & valde mihi quod displicet,  
 Vxores conjugaras vitiant civium.  
 Hinc sæpe nonnulli occiduntur, aut ita  
 Cæduntur, ut vitæ non sit spes amplius.  
 Aut comprehensi pœna plectuntur gravi.  
 Igitur gnatum suum mittat quisquis volet,  
 Ego mecum decrevi meum non mittere.  
 Nam scio quam sit dura, & quam multis sentibus  
 Obsita via, quæ perducit ad scientiam,  
 Quare cum nequeunt sine labore consequi,  
 Nec sine sudore ad excelsum culmen datur  
 Conscendere, mox sese ad delicias conferunt,  
 Ad quas lata & amæna, atque longe tritior  
 Via ducit, namque hæc ætas est proclivior  
 Ad corporis delicias & libidines,

Quam

Quam ad studia præsertim campo cum currere  
 Datur aperto, & cum non est qui coerceat  
 Eos frenis, vel cohibeat petulantiam. (præditus  
 PHILOS. Næ tu ridiculus homo es, nec mente  
 Sana, dum cupis hanc ætatem constringere  
 Molestis vinculis, ut degant cochleæ  
 Vitam, aut Timonis, qui fugiens consortia  
 Hominum, solus delituit in domo sua.

An nescis Vlysssem quam commendet maxime  
 Homerus, quod multorum hominū cognoverit  
 Mores, & multas regiones peragraverit.

Πολύων, γὰρ inquit, ἀνθρώπων ἔγνω νόον.

Et propterea nunc vocat ipsam πολύτροπον.

Nunc πολύμητιν, quod potuerit se vertere  
 In omnes partes, consiliis pollens vaftris

Quoniam miser fatis depressus asperis  
 Et multis damnis, nactus est prudentiam.

Qua propter, si sapias, noli interdicare  
 Gnato convivia & congressus mutuos:

In his plus discunt, quam si noctes & dies  
 Chartis inhæreant. Manda ut nequissimos  
 Sibi adjungat, nam cum deceptus cœperit  
 Egere, post non cuivis credet, scio.

Sine etiam interdum ut accedat meretriculas,  
 Quod si circumventus fuerit, non amplius  
 Habebit his fidem, sed adversabitur

Sponte sua, demum vera est hæc sapientia,  
 Si quis damno accepto desistit & sapit.

Quo circa non tam facile possunt decipi  
 Quam simplices, qui temere in qualvis irruunt  
 Technas, nec imperiti ab his sibi cauent.

STUDENTES

Præterea perspicuum est, postquam ad rempub.  
Accedunt, hanc mirâ regunt prudentiâ.

Sed qui sunt imperiti rerum, fere nihil  
Profunt, nec possunt quicquâ in cœtu proloqui.

Quapropter largiendum est aliquid juvenibus,  
Nec utentum est censura tam rigida nimis.

Postquam pertæsum fuerit, desistent, scio,  
Et vitam melius etiam formabunt suam.

Quare, si libet, una gnatum mittam meum.

PHIL. Age, ut lubet, vestræ accedo sententiæ,

Consilium perplacet, quare ne sim in môra

Eamus intro. Puer heus, Philomathen voca,

Vos itidem vestros quoque jubete accersere.

EVB. I præ sequar, fiet, non ulla erit mora,

ACTV SI. SCENAI I.

PHILOMATHES, ACOLASTVS,  
ISGEESTVS.

*Trimetri.*

**E**Quidem lætus sum, sed demiror cur pater  
Tam subito jussit me per puerum accersier,

Nisi id est, quod semper insedit animo meo.

Ad mercaturam forsân vult me mittere

Ingenuarum artium, ut his mentem meâ excolâ,

Id quod petivi, & dum vivam semper petam:

Quamvis adeo obstinate sibi proposuerat,

Se nolle tantos sumptus ad studia dare.

Sed quid sit experiar, domum & me conferam.

Verum nisi fallor, video properâtem Isgeestum,

Et Acolastum, percontabor quid sit novi.

Salvete



salvete sodales, cur festinatis? quid est?

ACOL. Pater tuus nostros secum duxit patres  
Qui nos vocarunt per pueros, ut sine mora  
Illico veniremus ad ædes patris tui.

PHIL. Age eamus, demiror quid hoc sit ominis.

ACRA. Sat scio, erit nobis audienda contio.

Idcirco percontare ex ipsis quid velint.

Nos te sequemur

*ACTVS I. SCENAIII*

PHILOMATHES, ACOLASTUS, IS-  
GEESTUS, EUBULUS, PHILO-  
STORGUS, PHYLARGYRUS.

*Trochaici, Tetrametri, Catalectici.*

Salvete patres humanissimi ( sumus  
Iussu vestro huc accersiti, sine mora nunc ad  
Mandatis vestris obtemperaturi promptissime  
EVB. Pergratū nobis fecistis, adolescētes optimi  
Quod tam propere ad nos huc advolastis, rebus  
omnibus  
Posthabitis, & laudāmus merito vestram obedi-  
entiam.

Inter nos diu multumque consilium captavimus  
Quam tandem viam vivendi inire vos oporteat,  
Visum est nobis, filioli charissimi, non ob leves  
Causas, ut animum adjungatis ad studia bona-  
rum artium.

Quapropter, si vobis consiliū placet, paucissimis

STUDENTES.

Verbis vestrâ quisque significate mentē, nec diu  
Nos tenere suspensos, statim vos in academiam  
Mittemus, sumptusque, quantum fat erit, sup-  
peditabimus.

PHILO. Vehementer nimis me exhilararunt  
quæ dixisti modo.

Non enim quicquam esse posset, quod me tanto  
gaudio

Afficeret, præsertim quod, dum vixi, non un-  
quam improbis

Precibus impetrare potui, nunc at desertur mihi  
Ultro, quare polliceor vobis, me nervis omnibus

Elaboraturum, ne frustra abliguriam bona  
Patria, sed longe ut revortar, quam ante fueram,  
doctior.

ACOL. Quamvis non nihil, pater, reluctatus sim:  
nunc tamen

Do fidem me obnixè operam daturum ingenuis  
artibus.

ISG. Idem ego polliceor vobis, patres longe  
humanissimi.

EVB. Perplacet mihi modesta hæc omnium re-  
sponsio.

Quare cum brevi in peregrinas oras transmitti-  
mini

Paululum mihi attente auscultate, atque ani-  
mum advortite.

Nam salutiferis vos informabo cautiunculis.

Vos etenim perversos dū ignoratis mores seculi  
Imperiti rerum, in quasuis irruetis fabricas.

Primum igitur cū nullū vivat animal pestilētius  
Quam

Quam mulier, cavete ne vos pelliceāt blādissimis  
 Verbis in sui amorē, quo, quoniā sub imo cōrtice  
 Fel tegit, extra melle perlitus longe dulcissimo  
 Deterius nihil est, nā postquā emūxerūt pecunia  
 Incautos juvenes, eiiciunt, illudunt, & indice  
 Ostendūt digito, nā scēmina est nil inconstātius,  
 Quarum non secus mens nunc huc, nunc etiam  
 illuc fluctuat, (bus

Quam carens rectore cum variis agitur flati-  
 Navis in magno pelago, quid quod & immensa  
 incommoda

Ex mulieribus sunt profecta, quæ nunc perlon-  
 gum foret (via.

Singula enumerare, sunt etenim cuiusvis satis ob-  
 Quare, dum licet, jugum excutite hoc vestris  
 cervicibus.

Præterea quoque mala fugite suadeo consortia.  
 Nam per hæc bonæ indolis juvenes sunt sæpe in  
 maximam

Ducti perniciem, etiam in vitæ sæpius discrimina.  
 Assiduas potationes ludos atque cætera,  
 Ex quib. jurgia, conflictus, cædes nec non pessimæ  
 Pestes oriuntur & abunde, ut ex mari omnia  
 flumina

Veniunt: fugite, nec minus tanquam perniciosi-  
 ssimam (geret

Pestem, assentatores, nam melius quis vitam de-  
 Inter corvos quam inter hos, quippe, ut qui vi-  
 vos devorent, (vera

Illi vero non nisi mortuorum hominum cada-  
 Vi fert memorabilis dignaque scitu sententia.

## STUDENTES

Postremo perferte & abstinete, queis complectimur

Omnam nostram vitā, juxta Epicteti sententiā. Ingenuis studiis dies noctesq; incūbite gnaviter. Vitā instituite ut leges, regionisq; ut mores ferēt. Hæc igitur vestris mea dicta sensibus recondite. Intus argentum, ne differatur, dinumerabitur. Quare ibimus, & ad viam quæ spectant apparamus :

Ut cras summo mane, quod dii vortant bene, fœliciter

Proficiscamini. PHILLO. fiet pater. Heus quanta hæc est lenitas,

Disrumpor miser, tanto me inexpectato gaudio Implerunt. Quare immortales, quas possum, tibi gratias

Summe Deus ago, hanc quod mentem patribus nostris infuderis :

Tu igitur cœlitus tuâ nosmet perfunde gratiâ. Et largire, studia ut succedant quam fœlicissime

### ACTVS I. SCENAIV.

#### EUBULUS,

*Senarii.*

**P**rohi Dii vostram fidem, quanta est iniquitas Hominum imperitorum, qui ex ipsa infantia Statim gnatos suos volunt fieri senes, Nec cum sodalibus sinunt colludere. Ac si potare, aut interdum ad meretriculas Accedere, sit scelus: ut ignosci non queat, Si quidem nos dum tulit ætas eadem fecimus.

Nant.

COMOEDIA:

Nam scio quanto labore vix persuaserim  
 Vicinum nostrum, quem vocant Philargyrum,  
 Ut gnatum ad literarum studia mitteret.  
 Sed is dum male saluti gnati prospicit,  
 Timet frustra ( quod ajunt ) ne cœlum ruat.  
 Ne amet, ne potet, id est, ne frontem exporrigat.  
 Quoniam ipse istuc ætatis hæc non fecerit.  
 Sed cum nunc sint ad studia ingenuarum artium  
 Profecti, faxit Deus ut succedat bene.

CHORUS PRIMUS.

Stulte quid immensũ moriturus congeris aurũ?  
 Quid tibi conducent totius orbis opes?  
 Quam brevis ignoras, sit vita humana, putasque  
 Cum modo te Cræsum. mox periturus eris.  
 Obruert incautum nam te mors terminus ævi,  
 Et tua sanguinea stamina falce metet.  
 Latior expectat nigri te portitor Orci,  
 Divite ab hoc, dicens, præmia magna feram:

ACTVS II. SCENA I.

ACOLASTUS, ISGEESTUS, PHI-  
 LOMATES, DANISTA.

*Octonarii quadrati.*

EX tam longo itinere defessis nobis utinam  
 contingeret (cæteris  
 Idoneum hospitium, ubi cibus, epulis & rebus  
 Possemus languentes recreare vires animi & cor-  
 poris.

In hac habitare platea ajunt bonum quendam &  
 hilarem hospitem:

Apud

STUDENTES.

Apud hunc divertemus, corpusque fatigatum, re-  
creabimus,

Pulsabo igitur fores. Heus actutum aperite ali-  
quis ostium.

DAN. Vos advenisse incolumes gaudeo lætor-  
que maxime

Sed quid sit, ad me cur venistis, perquam scire  
gestio.

Quapropter adventus vestri causam brevibus  
exponite.

ACOL. Nos huc ad literarum studia consilio  
mis patrum,

Quoniã celebritas universitatis longe increbuit,  
Petimus, ut nos hospitio excipere velis, & quam  
lautissime

Instructis epulis recreare, ut decet. DAN. nihil  
opu'st pluribus

Verbis, fiet, parata quin jam sunt omnia, ne sit  
mora

Ite intro ut capiatis cibum. ACO. I præ nos se-  
quemur te hospitem.

*ACTVS II. SCENA II.*

MUSOPOLUS, COLAX.

*Trochaici, Tetrametri, Catalectici.*

**A** Ge, si vacat, Colax paululum de ambula-  
bimus.

Quis etenim domi solus nunc posset delite-  
scere. (pote,

Tam sereno cœlo, tamque amœno nempe tem-  
Quo tellus fecunda producit fructus uberrimos.

COL.

COL. Recte dicis ego eo una, paucis confabu-  
labimur

De quibusdam rebus, nō enim decet ut inanibus  
Nugis transmittamus tempus. MVSQ. Consi-  
lium mihi perplacet.

COL. Conferemus igitur inter nos de concentu  
orbium (tentiam.

Æthereorum, ac primam tu tuam mihi dic sen-  
MV. Rem profecto difficilem proponis, eloquar  
tamen

Ætheream regionem octo distinxerūt cælestibus  
Sphæris, videlicet, septē planetarū, quas nūcupāt  
Errones, & his accedit Sphæra octava & maxima  
Firmamentum, quod cælum quoque nunc ple-  
rique appellitant.

Hæ quia circulariter moventur, quædam tardius  
Et quædam velocius, distinctos efficiunt sonos.  
Nec fieri potest, ut esset tacitus motus orbium,  
Quādoquidē sonū reddit percussus aer vimine.  
Hunc concentum propter suavitatem Musas  
nuncupant. (nominant

Lunarem globum Clio, Mercurium Euterpen  
Et Venus Thalia, Melpomeneque solis orbita,  
Mars Terpsichore, Iupiter Erato, sed sidus Sa-  
turnium

Dicitur Polyhymnia, at cælum vocant Uraniam  
Sicut nomen indicat, quæ sic concordātes sonum  
Efficiunt postremum qui de suavitate dicitur  
Calliope, & ob id Ascraeo poëte est præstātissima  
Quæ fit ex concordante harmonia cælestium or-  
bium,

## S T U D E N T E S

Sicut octo pueris cantillantibus unus fit sonus,  
 Ex puerilium vocum qui constat concordantia.  
 Co. Mira refers, humane mētis miror perspicaciā;  
 Sed qui fit, quod tam suavis sonus non possit  
 percipi?

MV. Cum respectu cœli terra nō sit magnitudine  
 Exigua notabilis. Tanta amplitudo in circulis  
 Est cœlestibus, quare reddunt sonum quoque  
 maximum :

Quē nō capere possunt auriū nostrarū angustiæ;  
 Sumus enim cœli respectu Atomī, velut Demo-  
 criti,

Sicut populi qui accolunt Catadupa Nili divitis  
 Ingentis fragoris amplitudinem non audiunt.

COL. Suaviter mihi philosopharis, perge si est  
 tibi otium. ( verissima ;

MVS. Hæc quia demulcent aures, ideo apparent  
 Sed ego convincam nō esse concentum cœlestiū  
 Sphærarū, argumentis firmis, & tu mox assenties.  
 Non enim pulsantur, nec si pulsarentur adderent  
 Vel minimum sonum, nam cœli corpora sunt  
 crassissima.

Præterea, absurdum soni declarat definitio,  
 Nam sonus ex collisione collisorum corporum  
 Nascitur, in qua aer percussus ad aures nostras  
 pervenit.

Hic tria sunt, percutiens, aer, & collisa corpora:  
 Verum illic non est qui percutiat, nec sese mutuo  
 Contingunt, igitur nec possunt se simul collidere.  
 Atqui, demus ut se collidant: sonus sine aere  
 Neutrquam fiet, qui percussus valide facit sonū:

Supra



Supra Lunę autem globū lucētem, non esse aerē  
 Vnusquisq; sanę mentis compos facile colliget:  
 Cum nihil supra Lunam mutationi obnoxium  
 Et multo minus corruptioni ostendi posset.

Aerem porro mutationi non obnoxium  
 Esse, si quis diceret, nulla ratione præditus  
 Iudicaretur, totiquę naturę contrarius.

Quare destructis principiis atq; caussis omnibus  
 Efficitur, propter circumgyrationem existere  
 Non posse sonum, qua propter nunquam mihi  
 persuadebitur.

Sed satis confabulatū est, alio nunc me conferā.  
 co. Hęc divina est mētis tuę in rebus sagacitas.  
 Verū quandoquidē nunc alio te rapiunt negotia,  
 iam diutius non detinebo, & magnas gratias  
 Non solum ago, sed etiam habeo, ego hac ibo,  
 tu interim vale.

*ACTVS II. SCENA III.*  
 PHILOMATHES, ACOLASTUS,  
 ISGEESTUS, COLAX.

*Scazontes.*

**E**Nimvero eutem curavimus laute,  
 Et corporis perbelle reduximus vires.  
 Nunc igitur restat, ut doctissimo nosmet  
 Præceptorī, qui nos ad culmen excelsum  
 Doctrinę ducat, conferamus, ut lætis  
 Studia procedāt auspiciis. ACOL. Mones recte  
 Eamus igitur ut docto, pio & cuius  
 Fides perspecta est omnibus (oppido nam sunt  
 Hęc virtutes rarę) credamus, ut ductu.

Hujus

S T U D E N T E S

Hujus non solum discamus bonas artes,  
Sed moribus etiam, qui nos decent, castis  
Mentem informemus. I S G. Adolescentulum  
comptum

Viden' ? certe habitus studiosum indicat, quare  
Ex hoc quaeremus quis sit antesignanus  
In hac tam clara & celebri Academia, ne nos  
Indocto credamus, ne & (quod solet dici)  
Cæcus cæcum ducat, tu exquire rem ex ipso  
Philomates. P H I. Salve adolescens plurimum.

COL. Ingentes

Ago vobis gratias, paucissimis quid sit  
Quod vultis expedite, nam mihi jam non  
Licet vobiscum multum fabulari, sed  
Negotia me alio vocant, age uno die  
Verbo. PHIL. Fiet: Petimus nos certiores ut  
Reddas, quis antecellat cæteris, & quis  
In hac Academia quam plurimos semper  
Erudiat studiosos, nam nos quoque huc missi,  
Ut animum adjungeremus ad bonas artes.

COL. Non infimo vos judico loco natos  
Id quod mores, vultus verecundus, & deinde  
Vestitus, incessus, subindicant clare.

Quare quod petiistis faciam lubens, & vos  
Ducam, ad Pædeuten, qui nunc cæteris præstat  
Longissime, studio, pietate, doctrina,  
Fide, quæ nunc res intermortua est pœne.  
Hujus igitur fidei, volueritis si vos  
Committere, sequimini, nam vos ad hunc du-  
cam.

ACTVS

## ACTVS II. SCENÆ IV.

COLAX, PHILOMATES, ISGEE-  
TUS, ACOLASTUS, PÆDEUTES  
Præceptor, Phrontistes famulus.

*Senarii.*

**H**eus heus nemon' prodit? PHRON. Quis  
est, qui calcibus

Insultat januæ, quid vis, vel quid cupis?

CO. Est præceptor domi? PHR. Est, sed mihi ne  
quempiam

Ad se intromitterem mandavit serio.

Verum expectato, mox revortar huc foras.

Colax adest ducens tres adolescentulos,

Vult intromittier tecumque colloqui,

Me primum jussit introire ut quærerem

An sibi pateret aditus ad te paululum.

PAED. Age accedat. COL. Quid nunc? licet?

PHRON. Introite jam

COL. Salve præceptor. PAED. Habeo gratias.

Sed quid cupis

Hoc comitatu? CO. Ut eos ad te huc introducerẽ

Petierunt, verum quid cupiant mox audies.

PAED. Aduentus vester est mihi optatissimus.

Sed quare huc advenistis, scire pervelim.

PHI. Nos claritate nominis tui, & scholæ

Exciti, consilio patrum huc devenimus,

Vt animum adjiceremus ad ingenuarum artium

Studia, quibus imbuti non solum ecclesiæ

Sed & possemus prodesse reipublicæ.

Cum igitur tu cæteris præstes longissime

Docen.

S T U D E N T E S

Docendi studio, & (quod nunc est rarissimum)  
 Fide, petimus nos in disciplinam ut velis  
 Recipere, pollicemur diligentiam  
 Iugem, & nos gratos erga te exhibebimus,  
 Non solum precio, sed tui etiam memoria,  
 Quam nō lethe poterit, dum vivam, extinguere.  
 P. A. E. Equidē talentū quod mihi est concreditū  
 Humi non mandabo, sed cuivis libera  
 Ad usuram dabitur utendi copia.  
 Nam semper impense omnibus studui bonis  
 Prodesse: idcirco ne nunc etiam abscondere  
 Lumen videar, recipio vos quidem lubens.  
 Nam multum pollicetur mihi bona indoles,  
 Quæ in vobis elucet fulgore maximo:  
 Quam etiam natura ostendit signis plurimis;  
 Nam præterquam quod frontis mihi mediocritas  
 Pilorumque color medius, nimium non niger  
 Nec albus nimium, & quoque capilli crispuli,  
 Ostentant ingenium bonamque memoriam:  
 Sed etiam lineamenta omnia corporis  
 Immēsum quiddam & magnū promittunt mihi;  
 Hujus etenim scholæ lex est: *πάλαιος*  
 Ne quisquam introeat, quare diligentiam  
 Si adhibueritis, non dubito quin brevissimo  
 Tempore percipietis fructus uberrimos.  
 Sed cum non liceat ad musas lata via  
 Currere, verum angusta nimis atque sentibus  
 Multis obsita, ad excelsum montis verticem,  
 In quo Phœbus virginibus stipatus novem  
 Sedet, tangens citharam canoram pollice:  
 Pellite desidiam, nam segnes ab hoc procul

COMOEDIA.

Arcentur colle, quippe qui per maximos  
 Sudores ascenditur, & diligentiam  
 Vigilem. quare improbo labore hic est opus  
 Si quis scientiæ vult fructus carpere;  
 Nam literarum radices Isocrates  
 Amaras dixit, sed fructus dulcissimos.  
 Hinc veteres pingebant Mercurium & Herculem  
 Cupidini junctum; quippe quod ingeniū, amor  
 Et labor in eo requiratur, qui ascendere  
 Vult ad præruptum & arduum scientiæ  
 Collem. Labori vos fortiter opponite,  
 Sicut se palma contra onus in altum erigit.  
 Nam permagno labore dii vendunt bona  
 omnia hominibus. sic tandem dabitur libere  
 Ad musas currere, quas me duce videbitis  
 Brevi, à quibus edocti rerum scientiam  
 Multarum, immortalī fama clarebitis:  
 Non etenim ad rem parandam faciunt literæ  
 Solum, sed & favorem regumque & ducum  
 Conciliant: quamvis sit doctus inops, ditior  
 Multo quam indoctus omnium ditissimus.  
 Nam doctus non ignem, non fortunam timet,  
 Non exilium, sed cuncta bona secum gerit.  
 Quare labore & vigiliis contendite  
 Ad exelsum culmen doctrinæ ascendere.  
 Ad cujus limen assident cura & labor.  
 In me, non deerit vobis studium, non fides.  
 PHI. Fiet præceptor, omnibus insudabimus  
 Nervis, & literis semper inhiabimus.  
 Nam scio quid possit ignavum & molle ocium:  
 Non etenim solum ad vitia est fomes plurima,

Scd

S T U D E N T E S

Sed etiam ingenii vires reddit languidas  
 Et corrumpit, quas intendit vel maximus  
 Labor, ut est in ferro cernere durissimo,  
 Quod citius cum jacet scabra rubigine  
 Conteritur & consumitur, quam maximo  
 vsu. ergo totis incumbemus viribus:  
 Labores nullos impigre fugitabimus,  
 Ut possimus penetrare ad montis intimos  
 Secessus. tu vale igitur nunc charissime  
 Præceptor. PAE. Et vos adolescentes optimi.  
 Deus fortunet vestros conatus pios.

ACTVS II. SCENA V.

MYSPOLUS, COLAX.

*Tetrametri, Iambici, Catalectici.*

**H**Eri perstrenue quidem usque ad primam  
 noctis horam (briati:  
 Potavimus, omnesque Colax, adeo fumus ine-  
 Ut vix possemus stare, quin ad terram laberemur  
 Proni, ut solent hi qui laborant morbo Comitiali.  
 Siquidem brevis Epilepsia est ebrietas, eruditi  
 Viri ut dicunt. Cū igitur nos facietas cepisset bi-  
 bendi

Prodimus in forū. Primū ingens nobis multitudo  
 Walonum venit obviā, qui in nos imbre ruentes  
 Lapidū, magnavi faciūt impetū, hos animo virili  
 Sic cædimus, ut victi tandē dare terga cogerentur  
 Multosq; vulneravimus, ut vix spes vitæ sit ulla.  
 Mox orto clamore in nos insurgit vigilū caterva  
 Armis radians, pars gladios stringunt, pars ma-  
 gno tumultu

COMOEDIA.

Torquent venabula, quos statim egimus in fugam ut columbas

Aquila solet, vel lupo agnas, cervam ut leo fugare.  
Risu emoriebar, quod tam turpiter hi, quibus salutem

Viris senatus commisit, fugerent. COL. Age quid deinceps?

Civesne sunt commoti? nam prompti adversus studentes

Esse solent. MYS. Maxime, concurrunt mox clamore magno (asylum,

Instructi armis. Sed nos ad nostrum confugimus  
Quis enim cum tanta stultus multitudine dimicaret?

COL. Laudo, nec possum quin suspiciam hoc tantum facimus audax. (retis;

Cur etenim a vobis vi vim illatam non depelle-  
Nam bruta, quamvis nostrae sint expertia rationis,

Propulsant externam vim, quare non nobis liceret?  
Verum isthaec missa faciamus, age ad proximam

tabernam  
Vinariam ibimus. Sed est ne ille Isgeestus &

Acolastus  
Qui nobis obviam procedunt? hercle sunt, quid

hoc sit,  
Demiror, quod tantopere festinent. MYS. Ad

lectionem  
Fortasse ituri sunt. CO. expectabo atque interro-

gabo.

ACTVS

## STUDENTES

## ACTVS II. SCENAVI.

MYSPOLUS, COLAX, ISGEESTUS,  
ACOLASTUS

*Septenarii.*

**C**O. Salvete plurimū sodales optimi, sed heus  
Quo tēditis? quid festinatis? **ACO.** nihil,  
nisi cum diu (feram

Hora sit audita, ad lectionem ut mox me con-  
Siquidem neglecta lectio nunquam revertitur,  
Nec velut Euripus Euboicus rursus reciprocatur,  
**COL.** Hui tun' ad lectionem? **ISG.** Quorsum  
vos ergo ibitis?

**COL.** Nos symbolum contulimus apud Delea-  
sthisæ patrem,  
Ibi aliquantū potabimus, nam genio addiximus  
Totum hunc diem, multis quem trasmitteremus  
gaudiis.

Quare si vultis ire nobiscum acceptissimi  
Eritis, sat scio, ubi sunt præterea juvenes plurimi  
Spectatæ fidei, castis exornati moribus,  
In quibus est nihil simulatū, quin aperto pectore  
Omnia agunt, cum quibus in tenebris mices tu-  
tissime. (lubens

Non est quod timeatis, ego pro vobis ponam  
**AC.** Non possumus, præsertim lectiōis horula  
Cum instet, quam non libenter negligimus. de-  
inde pater

Potationes nobis interdixit serio.

Mandans, dies & noctes ingenuis ut artibus

Incum-



Inacumberemus. M Y S. Ego in his non morem  
 gero patri, (ritus.  
 Vi que adeo dum hanc reget vitalis animam spi-  
 dum vernat ætas, dū vegetæ sunt vires corporis  
 Vitam multis variisq; illecebris lætus transigam.  
 Volubili nam gressu hæc ætas cito prætervolat.  
 Quare morositati non erit apud me locus.  
 Scio etenim effœta quid secū senectus advehat,  
 Tristitiam, languorem, imbecillitatem corporis,  
 In quæ tot morbi, totq; infortunia magna inci-  
 vt, deliria, mortis inopinus horis singulis (dunt,  
 Adventus expectandus, atque quæ sunt cætera.  
 Ad eam stadio decurso postquæ metam venero,  
 Tunc sapiam, tunc prudēs ero, destitutus viribus  
 Cum fuero, sponte cessabo, atque cum illis seculi  
 Hujus mores despiciam; annihilabo, ut ne quod  
 supra;

Nam cum ipsis nō licuerit rebus his operam dare  
 Vel per morosos præceptores & rigidos patres,  
 Aut per egestatē, nobis eadē prohibēt & vetant.  
 Fœlicitatem hanc nobis invidentes invidi.  
 Quare delitiis perfruar, quas adolescentia  
 Fert, & vos si saperetis, me cum faceretis scio.  
 Rogo igitur si potest fieri, ut nobiscū illuc simul  
 Eatis, ego vicissim non mortis pericula  
 Adire formidabo, me dicetis alterum (dixerat.  
 Pyladen, qui se sæpe Agamemnonium Orestem  
 Apud Thoantem regem Scythiæ ut cum periculis  
 Etiperet mortis, vitam non dubitavit ponere;  
 Præterea tibi amicitia junges juvenes plurimos  
 Stēmate præclaros, & genere ortos nobilissimo.

S T U D E N T E S

AC. Age, eamus una. Sed posthac ero diligētior.  
Nā nō possum semper chartis & studiis immori.

C H O R U S S E C U N D U S.

Quotquot Pierii numina verticis  
Intonsumque colunt Pegasidum ducem,  
Noctes atque dies pectore cogitent  
Ut prayos fugiant & temerarios,  
Syrenum veluti dulcia carmina.  
Namque hi virgineos non maculant modo  
Mores, quinetiam ad pessima sunt mala  
Calcar perniciēs fœda dolis scatens.

A C T V S I I I. S C E N A. I.

A C O L A S T U S.

*Senarii. Iambici.*

**D**Eum immortalem, quantus ignis æstuat  
In me, qui quoniam per venas passim repit  
Totum cor incendit flammis furentibus:  
Eneladus quamvis inflammet Trinacriam,  
Dum fumantes ignes iratus euomit:  
Audactar affirmare ausim, majoribus  
Me torqueri æstibus: quin verba flammea  
Videntur, adeo me Deleasthiæ coquit  
Et formæ decus, & morum castimonia.  
Taceo cætera tam coporis quam animi bona.  
Nam formæ tantus est splendor, vix ut putem  
Esse aliquam cum qua merito conferri queat.  
Quia etiam Iove Saturnio dignissima,  
Qui captus nunc Europæ, nunc Calisthonis,

Nunc

Nunc Iiis , nunc Semeles formis pulcherrimis :  
 Sed ex hujus forma plus incalesceret,  
 Quam Cithææ præferret Priamejus Paris,  
 Quæque aureum pomum ferret dignissima.  
 Quid referam nigricantes oculos ? quid ebore  
 Candidius collum ? quit cæsariem, ceu auream ?  
 Denique color sanguineus mixtus lacteo  
 In facie ? quid memorem turgentes mammulas ?  
 In summa , tanta est corporis laudabilis  
 Habitudo , ut in hanc Deos Deasque omnes rear  
 Certatim contulisse munera splendida,  
 Ac singulari effectam diligentia.  
 Certe formam Venus dedit , animi bona  
 Minerva , dicendi leporem Atlantius  
 Iuvenis , nam quoties veniunt verba virginis  
 Mihi in mentem , quæ inter nos facta sunt heri:  
 Ita exardesco , ut nisi amorem meum expleam  
 Actum sit de me , & vitæ non spes amplius.  
 O utinam tantum me à te mare disiungeret,  
 Quod Abydenum juvenem & puellam Sestiam  
 Disiunxit , non timerem impetuosum mare,  
 Quin subito ad te tranarem , modo mihi copia  
 Tui fieret. Nam timidos & segnes amor  
 Odit , nec vereor quod sit submersus miser.  
 Non idem semper universos exitus  
 Monet. Tu igitur alma Venus aspira meis  
 Cœptis , & fac puellâ infœlix ut fruam.  
 His etenim adesse soles , qui sub cupidinis  
 Tui gnati signis merentur fortiter.  
 Fac igitur parili ut amore puella exæstuet.  
 Per te Atalantam pulcher cursu transgressus est

STUDENTES

Hippomanes, poma postquam emisit aurea,  
Quibus tollendis impedita vincitur.

Tuo beneficio rapuit Helenam Paris,  
Propter quam tota Asia est eversa funditus.  
Sed stultus in ventos quid amorem effutio?

Aggrediar rem, en jam commodum prodit foras,  
Nunc dabitur colloquendi late copia.

Amorem detegam remoris arbitris

Si nil preces valebunt, addam munera

Quæ conciliât Deos, ne dum animû muliebrem.

ACTVS III. SCENÆ II.

DELEASTISA, ACOLASTUS.

*Trochaici, Tetrametri, Catalectici,*

**Æ** Depol nunc primum sentio, nunc misera intelligo

Quid possit amor, quem tam sæpe execravi indignissimæ, (compotes

Omnisque puellas tanquam non sanæ mentis Quæ capi se amore perpeffa sint valde turpiter.

Nempe Medeam & Scillam & Minois regis filiã, Nunc Palinodiã cogor cantare, nam vis maior est

Aligeri Dei, quã ut imbelles possint mulierculæ Huic sese opponere, qui maximum Iovẽ coegerit

Vt tauri vel cygni formam indueret, stulta igitur fui (mis

Quod sum sæpe amorem verbis detestata pessimamque amor, ut sequentes ducit, sic reluctantes trahit. (ceot

Id quod exuperior nunc misera, quæ modis exermiris, Acolasti etenim forma excellēs me coquit

Qui

Qui forte heri apud nos una aderat hesternō in  
convivio.

Hunc postquam conspexi, flammās concepi imo  
pectore.

Vt nisi optato ipsius perfruar amore, funditus  
Perierim, quare deos immortales supplex precor  
Vt nos optatis Hymeneis jungāt Iunone auspice  
Quod si non fiet, laqueo vel ferro vitam fineam,  
Et parcis invidis truncabo fatalia stamina.

ACOL. Arrige nunc aures Acolaste, tua agitur  
jam res & salus.

Age ne te maceres, tui te faciam voti compotem.  
Non possū me cōtinere quin salutē & colloquarē  
Salve mea Venus, salve & Charis tu mellitissima.

DELE. Euge Acolaste, salve ab imo calce ad  
summum verticem.

Cur tristis? cur pallidus? quare ducis suspiria?  
Nū mali tibi quicquā contigit? nā sunt hęc seculā  
Insidiis hominum plenissima, dū melius sibi cupit  
Quisq; quā alteri, enarra quid afflicter te, corculū.

ACO. Hei mihi. DEL. Per Deos omnes te mi  
animule oro & obsecro, (deat

Vt mihi detegas audacter quid miseram te mor-  
Omnib. nervis operā dabo ut tibi bene cōsulam.

ACO. Omnino nihil, non cœlum sudum est  
omni tempore. (ximum,

DE. Facies indicat tua pertristis dolorem ma-  
Quem nisi notum feceris mihi, peribo funditus

Dic age, num quisquam tuis doloribus mederier  
Possit. ACO. Hercle nemo nisi tu sola potes, qua-

re adiuva.

S T U D E N T E S

DEL. In me non erit mora, tu saltem mihi mentem aperi tuam.

ACO. Age vero, dum a deo isthæc, delictum meum, scire expetis.

Da fidem te nulli credituram, & nusquam gentium Divulgaturam. DEL. En dextram meam, quæ fidei symbolum est. pocratem.

Angeronam me dices, Ægyptium atque Har-  
AC. Cum mihi nuper affideres lauto in convivio,  
Cœpi, Delectata, contueri tam laudabilem  
Formam, qua præstas, quaque antecellis vel  
longissime

Omnibus puellis. Hesperus ut quæ fulgidissimas  
Stellas vincit, & Lunam Sol ut fulgore maximo  
Superat, sic tibi laudæ formæ nulla virgo æqua-  
bitur.

Sed velut præsentem Sole pereunt omnia sidera,  
Sic tecum collata forma cunctarum obtenebrabitur.  
Singulæ nam partes corporis sunt dignæ amplissima  
Laude, queis narrandis, ne dum exornandis, vix  
Gallicum (rem.

Herculem satis facturum existimem, vel Nestor-  
Gemina quis dignè laudet rutilantia fronte lumina?  
Ex quibus vel mille gratiæ catervatim emicant.

Quis roseum os? aut quis genas rubicundulas?

Quis palpebras (reos?

Nigras laudet? quis capitis pilos celebret vel au-

Quis mamillas eminentes summo laudet pectore?

Denique cuncta respondent sibi, quæ sunt toto

in corpore. (triâ

Nil nimis magnum, nihil paruum nimis, symme-

Iusta

Iustâ cōformata sunt, satis mirari ut non queam.  
 Quę dum caute circūspecto, Delectata, singula,  
 Cœpi perditte te amare, nam per oculos influit  
 Sævus amor cordis in penetralia intima, ceu per  
 cannulas,

Qui me flammiferis sagittis transfixit crudeliter:  
 Adeo ut nec die quies mihi sit, nec nocte carpere  
 Somnum possim, sed semper tua forma obver-  
 satur mihi,

Vt meū nisi amorē explevero, perierim funditus  
 Ipso in flore ætatis, ceu rosa quę calore maximo  
 Solis cū fuerit correpta, marcescit mox decidens.  
 In tua cū sint igitur manu tam mors quā vita, te  
 Supplex obsecro ut vitam mihi dones, neve me  
 finas ( meum.

Morte perire, meæ & voluntati acquiescas, mel  
 Posce quidvis voveris, vel preciosissima munera,  
 Nam tibi nil denegare possim, quin mox largiar.

DEL. O indignum facinus, Proh Deus, auda-  
 cem impudentiam.

Vah qua fronte sollicitare me audes de stupro,  
 An ne venalem, aut in propatulo me habere exi-  
 stimas ( blico

Intactam pudicitiam? an cum scorto te nunc pu-  
 Verba facere? nec mei rationem habes, canis  
 impudens. ( darem.

Ni fidem tibi dedissem, proh quantas turbas  
 Nobis nō eadē ratio est, quā vobis adolescētibus;  
 Virgines enim omnes cōferrem cum veste serica:  
 Adolescentes porro referunt aurum quam purif-  
 simum;

Nā velut illa cū semel maculas turpes asūpserit  
Aut in cænum si demersa fuerit impurissimum,  
Elui potest nec arte, nec labore maximo.

Aurū vero quāvis cōmaculatū, extergi sic potest:  
Etiā plus ut niteat, quam ante, si purū pūtū foret.  
Sic adolescentes flocci faciunt, quia illis nō obest,  
Sed nos si semel conspersæ fuerimus tenui nota,  
Nunquam detergemus acceptā à nobis infamiā.  
Quare oportet, ne pudicitiam perdamus turpiter  
Invigilare caute, quæ nobis dos est amplissima,  
Quam semel læsam nūquam redimes vel ere ma-  
xumo. (Tygridis.

ACOL. O crudelitātē immensam, & ō sævitiā  
An nō te miseret mei? quem cernis contabescere  
Nimio amore, non secus ut quondam Clytię mi-  
ferrima (plum sequat,

Cum jam sim repulsam passus, multorum exem-  
Et vel ferro vel laqueo salutem quæram, tu lues  
Pœnam, quæ mortis feræ mihi caussa es crude-  
lissima,

Deleathisa, do fidem, & juro per conscia fidera  
Me te ducturum uxorem domum, ex me si con-  
ceperis. (me.

DE. Dii te perduint cum isthac procacitate, pessi-  
ACOL. Quo fugis? audi verbum unum. DEL.

Non audio petulantissime. (sutiā.

DE. Non possum non admirari cunctarum ver-  
Adeo ut oēs in eodem ludo edoctas esse arbitrer,  
Quod tā pulchre dissimulare didicerint & calleāt  
Id quod nunc in Deleathisa cognovi certissime.

Quæ cū amore tāto exæstuet dissimulat optime.



Sic ingeniū est muliebre his institutum moribus.  
 Ut quanto plus exoptēt, tātō opponāt se fortius.  
 Quo magis expetāt, eo reluctentur plus & negēt.  
 Nam cogi volunt volentes, & reluctantes petūt.  
 Sed ad eam me conferā, intus ut reconciliē mihi,  
 Et petam ut convivium apparet nobis lautissimū.  
 Nam Colacem cum Myspolo, & Philostasium  
 ipsumque Acratem

Invitavi ad cœnam, cum quibus cras frontem ex-  
 porrigam (profectus est.

Quandoquidem pater cum matre ad amicos jam

*ACTVS III. SCENA III.*

ACOLASTUS, DELEASTISA, COLAX-  
 MYSPOLUS, PHILOSTASIUS,  
 ISGEESTUS, CERDONES.

*Senarii, Septen. & Octonarii mixti.*

**P**Ver heus inferne mensam, post ocyslime  
 Ad Colacem & cæteros te confer, ut sine  
 Mora veniant jube, cuncta esse dicito.  
 Parata, mox voca aliquem qui cœnantibus  
 Nobis ludat fidibus, ne quid desit vide,  
 Tu Deleastisa compara coronulas  
 Aliquot, convivis quas des advenientibus,  
 Postquam verbis blandoque amplexu exceperis.  
 Ut sint omnia superflua, ne desit vide.  
 Abunde cras solyam, tene tu memoria.  
 Si plus exposueris. DEL. Curabitur bene.  
 Tu saltem, convivas ut exhilare, vide,  
 Vel poculis, vel per salsis facetiis,

S T U D E N T E S

ACO. Intendam vires omnes , ut me strenuum  
Geram potando , ne discedant sobrii.

Siquidem meretur laudem nunc amplissimam.

CO. Salvete plurimū. ACO. Ingentes vobis ago,  
Quod advenistis , gratias , suavissimi  
Congerrones. M Y. Sed non ages posthac, scio.  
Edaces & bibaces convivas habes.

DE. Adventus vester est mihi acceptissimus.

CO. Hoc amplexu præ gaudio cor exilit.

DE. Corollas has , horti nostri donaria,  
Accipite æquo animo , exigua nec munuscula  
Spernite. PHL. Quam suave spirant hæ coronulae.

ACO. Puer recētem aquam fer, ut lavēt manus.

I S G. Ad sacrificium nos iuros autumas?

Quæ manibus illotis tractare erat nefas.

ACO. Accumbite. Iā lubet animo meo obsequi.

Indulgens genio vivam , dum vivam , bene.

In Alexandrinis deliciis vitam exigam.

Dum fert ætas , dumque valent vires corporis.

Aut bibat aut abeat , Græcorum in conviviis

Erat lex celeberrima , quam nos hic gnaviter

Servabimus , quare Colax hoc præbibo

Tibi , quod faustum sit sælixque , poculo.

COL. Lubens excipio, & summas habeo gratias.

AC. Tibi vero hūc uno, Myspole, haustu cātharū

Do, sed tu Deleasthisa, mel meum , Prius bibes.

MY. Excipio, sit sat. CO. Heus Isgeestus, hoc tibi

Quod cernis præbibo poculum. A C. Habeo

lubens,

MY. Philostasi , hoc saluto te benigne cantharo.

PHL. Respondebo, sed mē sæ exhaustū imposito.

MY, Vi-

MY. Videbis, candidè bibam, non de me aliter  
expertus es.

ACO. Heus puer, accerse, ut iussi qui fidib. canat.  
Ni rectè efficies vapulabis postea. (concine.

Deinde huc ad mensam concede, & cantilenam  
PV. Adest. AC. Intende nervos, bone vir, & nos  
Faceta cantiuncula, si quid potes. (excita

## O D E D E A D V L T E R I O

Viderat Martem Venerem soventem,

Atque inextructo thalamo cubantem,

Qui regit solis volucres quadigras

Comptus Apollo,

Nunciat fabro cito claudicanti,

Qui graves technas animo doloso

Invenit, parvas fabricans cathenas

Retia ponit.

Est & in Lemnum peregre profectus,

Id quod observans rigidus Gradivus

Mox ad asuetum thalamum cucurrit,

Gaudia quærens.

Cumque conscendunt, cupidos amantes,

Fraudis ignaros capiunt cathenæ,

Ex quibus captis datur exeundi

Nulla potestas.

Mulciber postquam videt esse captos,

Convocat cunctos superos deasque,

Vt scelus Martis rigidi viderent

Cum Cytheræa.

Martis amplexu Venus obvoluta

Præbuit risum superis solutum,

STUDENTES.

Membra quod nulla potuit pudenda  
Veste fovere

Non erat quisquam ratione tali  
Qui pati amplexus cuperet Diones,  
Præter Atlantis nitidum nepotem  
Pleionesque.

ACOL. Equidem & ego me cum Venere vinciri  
mitterem. (vimus.

ISG. Satis commessatum est, famemque exple-  
Iube fasciculos aliquot chartarum huc adferre.  
Cibus tollatur, ludemus parūper, nam quid alea  
Possit, lubet experiri. ACO. Puer heus, profer  
fasciculos duos.

Mappam mensalem tolle cum cibo, & statim  
Aquam purā, ut lavent manus, adfer, ne sit mora.  
MY. Isgeestus, tu distribue folia, verum fraus absit  
& dolus.

Pecuniam conijciemus in hunc circulum,  
Ut qui superus sit victor mox auferat,  
Nunc volve fortuna rotam, nunc mea suscipe  
Vultu benigno vota, victor tibi bidētes offeram.

ISG. Periclitemur quid vehat fortuna, tu Colax  
Es primus. ACO. Accede Deleasti huc, lude-  
mus parvulum.

Sudarium auro pertextum depones, ego duas  
Vinas deponam serici villosi, age asside.  
D. Vt ut placet, impartire folia, vincāte certissime.  
ISG. Mea est pecunia hæc, vici ludum. PHIL.  
nonlargior.

ISG. Cur non? PHIL. Pecuniam, inquam, redde  
furtifer.

COMŌEDIA.

ISG. Non reddam. PH. At ego, scelus, vicisse te nego. ( sed subdole

ISG. Quid causæ? PHIL. Non aperte lusisti, Composuisti chartam, & folium è medio subtra- xisti. Dein ( pudens.

Clam quod nō placuit sub mensam demisisti im- Atque en jacet adhuc sub pedibus tuis, quare pe- cuniam

Redde. ISG. At non reddam, medium te licet discerpseris. ( niam.

PH. Hoc pugione te pugnam nisi reddas pecu- IS. Ut lubet, ego itidē faciam robur experiar tuū. Proh facinus indignum trucidor heu miser.

Acolaste subveni, quid cessas? PH. Proh, tantum In alienis ædibus admittere, non pudet ( scelus Tantas turbas sub noctem dare? ISG. quid cessas? vindica, ( nes.

Trucida. IS. Sublimem rapiant omnes te dæmo- An leve crimen putas tantam vim facere in ali- na domo?

Mox amove te hinc, aut fustibus ejiciam te foras. Hanc pro meis meritis nunc gratiam rependitis?

PH. Quid tibi vis? nō me terrebis sevis dictis tuis. Iam pugnus herabit tibi in mala, nisi os compres- feris.

MYS. Quid agis Philosthasti non decet tumul- tuari in ædibus ( mus.

Alicnis, nam capitale est facinus, age domum ibi- Deducam te usque ad contubernium tuum

Per hanc plateam, est enim quam cæteræ multe tranquillior

S T U D E N T E S

Sed ecce ingens Walonū multitudo nobis, obviā  
Venit vociferando WAL. Ba ba bu. PHIL. Vix  
duo sunt, tace. (fugam.

Mirum spectaculum videbis, hos agemus in  
Canes enim qui vehementer latrant, mordent  
minus.

Colax ad dexteram concedito, tu isthinc Myspole  
Aditum interclude, ne qua pateat his fuga.

Horrendum clamitant: ego stricto hos ense per-  
sequar.

Tanquam prædam in casses agam, vos sternite  
Eos ad terram, intellexistis me? COL. bene.

WAL. Ba ba bu. PHIL. Ho ho ho. WAL. Heu heu  
inermes cædimur. in pedes.

COL. Satis dederunt pœnarum, conjiciamus nos

ACTVS III. SCENA IV.

PHILOMATHE S.

*Trimetri.*

**V** Su tandem quotidiano jam comperi,  
Vere dixisse Homerū, qui quam plurimos  
Dissimiles patrum dixit esse filios.

Plures peiores, meliore paucissimos.

Cujus rei clarissimum exemplum Acrates  
Et acolastus præbent, qui cuncta dissipant,  
Quæ patres vix summo labore & maximis  
Sudoribus congresserunt. Sed incidit

Vetus sermone vulgatum proverbium:

Tenax requirit prodigum, & dum attentius  
Omnia perquiro, video: quando altissimus

## C O M O E D I A :

Sit Parnassus , & ad hunc angusta semita  
 Sentibus innumeris & spinetis obsita,  
 Saxosa , & non nisi per sudorem pervia,  
 Ad quam monstra advigilant aspectu pessimo,  
 Quæ ascendentes non admittunt , sed avocant:  
 Voluptas , paupertas , pravum consortium.  
 Quamvis sublata voce Pierides vocent,  
 Et monstrent laureos licet ramusculos.  
 Circumvenire multos his monstris , quibus  
 Dum dant operam , à studiis se totos segregant,  
 Quod contingit meis quoque conterraneis,  
 Qui dum nimis libidinibus obtemperant,  
 Remiserunt Musis & Phœbo nuncium.  
 Ad hos igitur , si sint domi , me conferam,  
 Vt in viam reducam , & ad frugem.  
 Sed eccum Acolastum video.

## A C T V S I I I . S C E N A V .

ACOLASTVS , PHILOMATHES.

*Trimetri.*

S Alve plurimum.

Oportune quidem venis mihi oviam.

Sed ubi est Isgeestus ACOL. Domi est, ægro-  
 tat paululum.

PHI. Ægrotat ? quo morbo ? letali forsitan.

ISG. Non arbitror. PH. Verum unde exortus tam  
 Invaluit morbus ? fortasse aliquanto bibit

(cito  
 Largius. A C. Ego hercle ignoro. PHI. Non est  
 quod tegas,

Rem novi à principio. Sed mirari satis

Non

S T U D E N T E S

Non possim, cur istos sectere gurgites.  
 Cur istis te adjungas, quare commercium  
 Habeas cum perditissimis nebulonibus,  
 Qui non honestatem, non pietatem colunt.  
 IS. Heri ad me veniebant, quare ego pro vitibus  
 Satis prolixè tractabam. PHI. Miserrimum,  
 Eo nunc rem redisse, ut si cui bene velis,  
 Hunc multis nisi mox poculis inebries.  
 Amicitioe disrupta dicant foedera.  
 An patris verba tibi exciderunt tam cito?  
 Quibus monebat nos, ut scis, ne talibus  
 Adhaeremus, qui bonarum ab artium  
 Studiis nos abstraherent, & pravis moribus  
 Vitam nostram inficerent, morati pessime.  
 Videbis in quæ te incautum trudent mala,  
 Postquam satis blandis verbis te illexerint.  
 ISG. Quod si non fecero, Timonem me appellitât,  
 Aut philosophum. PHI. Dicant, permitte, quod  
 velint.  
 Nam nulla fides est, nec justis observantia:  
 Quos coram cernis & putas esse optimos,  
 His minime fide, nam sunt perversissimi,  
 Qui te apud alios illudent, quamvis plurima  
 Coram, & vitam promittant pro te fundere.  
 Nam tales præditi sunt lingua duplici.  
 Mel & vitus spirant uno ore & halitu.  
 IS. Non arbitror, namque horum perspexi fidem.  
 PHI. Fidem? qua in re: quod est letali vulnere  
 Ab his Isgeestus confossus? egregiam fidem.  
 Quod temetipsum ferme ejecissent domo.  
 ACO. Non est letale, vix mucrone paululum



Perstrinxit, postquam multo esset vino obrutus.  
 PHI. Vide quid agas, non homines hujus tēporis  
 Tam citò cognosces, quin etiam centum salis  
 Si modios cum nonnullis hic consumpseris,  
 Vix ingenium cujuslibet perspexeris.  
 Crudeles sæpe serpentes sub floribus  
 Latent, & spinas sæpe quoque rosæ oculunt.  
 IS. Non possum me plane ab hominib. sejungere,  
 Nec pater unquam interdixit, ne bonos mihi  
 Amicitia adolescentes adjungerem,  
 Et omni demererer benevolentia. (ter

PHI. Amicitia inter latrones? ACO. Proh Iupi-  
 Tua quid interest? Si quid consumpsero  
 Id fiet de meo. PHI. Consume non moror.  
 Sic sunt nunc homines, qui cum sibi nō consulāt.  
 Alios bene monentes tamen non audiunt.

## C H O R V S T E R T I V S.

Qui vis ingenuis labore magno  
 Eniti studiis, ad astra clarum  
 Nomen tollere, fœminas venustas  
 Et ludos, epulasque sperne lautas.  
 Incautos juvenes tria hæc inescant,  
 Atque ad plurima probra dant fenestram,  
 Et gignunt odium novem sororum.  
 Obnixè studiis adhære honestis.

## A C T V S I V. S C E N A I.

EUPROSITUS, ELEUTHERIA.

*Senarii.*

A In' verum esse, quod nobis absentibus  
 Vitium sit oblatum ( me miserum ) filiæ,  
 ELEU.

S T U D E N T E S

ELEV. Sic est, EVP. Quis fecit? ELEV.  
 Acolastus. EVP. Nullam fidem  
 Esse in mundo, proh Iupiter, heu injuriam.  
 Vix sum compos mentis, sic ebullit cruor  
 Circa cor, atque ad iram mentem concitat.  
 Si mihi scelestus nunc daretur obviam,  
 Hunc ensem in costas adigerem vi maxima,  
 Et hanc viam cerebro miseri conspergerem.  
 Vir es, Acolaste, gessisti te fortiter,  
 Imbellem debellasti vir puellulam:  
 Pudicitiam eripuisti, age, te mihi obviam  
 Offer, conceptã merito hanc in te iram evomam.  
 EL. Dedit jusiurandum se ducturum domum,  
 Quare effervescentem iram, mi vir, comprime.  
 Placuit puellæ species adolescentulo,  
 (Pudicitia cū formã agit nam litem maximam)  
 Calcaria addidit amor, locus & occasio.  
 Amice agendum est cum adolescente & leniter.  
 Voluntas virginis adfuit, & humaniter  
 Fecit, persuadebo hominem, ut accedat ad me  
 Et ducat uxorem, novi tractabile  
 Hominis ingenium, per servum accersi jube.  
 EVP. Dromo, accerse Acolastum, ut mox ve-  
 niat huc Toga.

ACTVS IV. SCENA II.

ACOLASTUS,

*Scazontes.*

**Q**uam nunquam, Dii immortales, secun-  
 dæ res

## C O M O E D I A.

In amore perveniunt ad exitum lætum,  
 Gravis quin luctus hunc sequatur à tergo.  
 Meo malo nunc etiam intelligo, demens  
 Amor cur captus lumine, & puer cur sit.  
 Nam sæpe prudentissimos facit cæcos  
 Et tanquam pueros nil sapere, quod expertus  
 Meo malo jam sum, periculis qui me  
 Tot objeci, cæcus & infans, nihil cernens  
 Futurum, & qui finis amorem hunc sequi posset,  
 Atque adeo, tot lubens angustiis memet  
 Involui, ut inde me expedire non possim.  
 Complessi virginem, quæ nunc gerit fœtum :  
 Fidem dedi, me ducturum domum, dixi.  
 Quæ res me sic excruciat, ut nihil supra.  
 Huc illuc impellor, tanquam in mari navis,  
 Procellosi quando ineunt prælium venti.  
 Vt nesciam miser, quid me futurum sit,  
 Ducam vero? pater obstat, qui modis miris  
 Me tractabit, quid dicet? num puellas ut  
 Vitiare huc te misi? an ut bonas artes  
 Perdisceres, probatis moribus vitam  
 Informares? an non hæc antea prædixi?  
 Quando vides Philomathem sic inhærere  
 Amori? qui quoque monere debebat  
 Vt non tam turpiter substantiam nostram  
 Sine tuorum studiorum perderes fructu.  
 Penitus ignoro quid respondeam patri.  
 Non dicam? pietas, æquitas, amor, leges,  
 Fides, religio, Deleasthiæ agunt causam,  
 Atq; adeo invitum me impellunt, trahunt, cogunt,  
 Minantes pœnam si non duxero, ut fas est.

Quibus

S T U D E N T E S

Quibus si advorsarer, vel si reluctarer,  
 Essem dignus cui tellus hisceret vivo,  
 Et velut Amphiaräum absorberet Argivum.  
 Quid nunc restat? nisi ut de monte præcelso  
 Me præcipitē, aut latebras animæ ense perquirā.  
 Tam me circumvallant angustiae multae  
 Mori ut malim potius, quam sic frui vita.  
 Sed hanc, dū in vivis fuero à me abstrahet nullus.  
 Quæ mihi suum misera concedidit corpus.  
 Non deseram, decrevi, sed domum ducam.  
 Quare ad patrem me conferam puellæ, quæ  
 Veretur ut sim ducturus, & ut expurgem  
 Me, ipsaq; flens jam dudū meam fidem implorat.

ACTVS IV. SCENA II.

EUPROSITUS, ELEUTHERIA,  
 ACOLASTUS.

*Octonarii.*

**Q**ua fronte, quo ore absentibus nobis au-  
 sus, carnufex  
 Domum nostram contemnerare, & notam famo-  
 sam inurere?  
 Vix me cōtineo, quia tibi mox manibus in crines  
 involem,  
 Et discerpam Threiciæ mulieres ut vatem Oca-  
 grium,  
 Qui nunc familiam nostram asperseris tam turpi  
 infamia.  
 Vt stas? ubi pudor? ubi verecundia? quid ais heus  
 tu furcifer?

ACOL.

COMOEDIA.

ACOL. Audi verbum unum, peccavi, fateor, veniam supplex peto.

EVP. Veniam, qui facinus Phalaridis tauro dignum commiseris.

Num me ludibrio habes? ACOL. Non veniam cupio ut vellem avertere

A me culpam, sed ut furibundam isthanc iram compesceres.

Factum quod est infectum reddi non potest, ad optimam

Quin potius partem confer, forma, ætas, amor, ad id me impulit.

Amor quid possit nosti, cujus non supremus Iuppiter

Potuit vel tela vel faces à se ardentes avertere.

Age de honestavi puellam, maximis honoribus Eandem afficiam, in uxorem ducam, quod fiat auspice.

Deo Precor, ab hac, dum vivam, me nemo nisi mors abstrahet.

Hanc mihi selegi præter cætera, cum qua etatem exigam:

Quapropter desine succensere, amorem & ætatem vides

Amborum EVP. Si non feceris, cogam te jure & legibus.

EL. Hanc, mi fili, ut scis, unicam tantummodo habemus filiam,

Solatum senectutis nostræ cujas tu flosculum

Decerpisti, quam si non duxeris, mox vitæ terminum

STUDENTES

Pones: quare per hoc caput te obtestor, ne nos de-  
feras.

Habebis dotem amplissimam, & dum vivam,  
omnia plena manu

Ad vitam suggeram, misereat te senectutis meæ.

ACO. Ne lachruma, dum spiritus alit hanc ani-  
mam, nunquam vos deseram.

Et citius cœlū flores, aut tellus producet sydera,  
Quam vel casus acerbus, vel grave aliquod in-  
fortunium

Deleat hanc eripiat mihi, & ab ea me vivum se-  
greget.

Sed conferam me nunc domum, idoneum sum  
nactus nuncium,

Per literas hac de re certiolem facturus patrem.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

DANISTA. ISGEESTUS,

*Trochaici, Tetrametri, Catalecti.*

ISgeesto demens nuper credidi vicēos aureos,

Et jam constitutus effluxit solvēdi terminus.

Quapropter fugitat meum conspectum, nec  
mihi obviam,

Quod sensi, venit. Sed mox me viso in aliam  
conijcit

Sese plateam, quare si mihi nunc daretur obviam

Compellarem. Nam mala nomina sæpe compell-  
landa sunt.

Hicce sunt homines nostra ætate exornati morib.

Vt, nisi quod tuum est repetas, non sponte sua ti-  
bi redderent.

Vel

Vel si quis quid reddit, magna est huic agenda gratia.

Adeo ut ipsa fides irata hinc ad Deos secesserit.  
Et perfidia emissa ex inferno cunctos invaserit.

Eccum quem quæro, sequar mox à tergo, ne se occulat

Aliorsum, me viso, heus bone vir, quando reddes debitum?

IS. Debitum? quid? DA. Debitum. IS. quantum?

DA. Vicenos aureos,

IS. Quando mutuo dedisti? DA. Nescis; ah homo impudens.

Denos tibi dedi, quos perdidisti nuper aleâ.

Octiduo post iterum denos, quos dederas meretrici

Et chirurgo, quod curasset vulnus in convivio

Acceptum, sicumque quo te tunc meretrix donaverat

Cum tecum cubaret, ad minimum integros menses duos.

(deferam.

ISG. Non abest multum, quin hoc in luto te provoluerem

Quod me cōpellare audes effrons in publica via.

Nonne dixi tibi, me nuncium misisse in patriam?

Qui quamprimum venerit, æs alienum persolvam tibi.

DAN. Quò te proripis? ô effrenatam hominis impudentiam.

Tu facies ut nulli crediturus sim pecuniam.

ISG. Quid nunc comminilar? aut quam nunc intendam fabricam, (solvam debitum.

Vi patrem argento emungam, atque huic ut per-

Dicam

Dicā me dimidium pene annum correptū lurida  
Febre laborasse, & ita tantam consumpsisse pecuniam.

Si pater rem cum scortis habere me rescisceret,  
Ludere, potare dies & noctes, ferret gravissime.

*ACTVS IIII. SCENA V.*

EUBULUS, PHILOSTORGUS,

*Septemarii.*

**P**hilostorgum exoptarem nunc mihi dari obviam.

Sed ipse exit foras, conveniam & quæram quo velit.

PHI. Te quærebam salve. EVB. Et ego te. PHI.  
Cur frontem contrahis?

EVB. A filio allatæ mihi sunt literæ, in quibus  
Scribit se Euprofiti cujusdam vitiasse filiam,  
Atq; ab eodem cogi, ut ducat in uxorem, legibus.  
Quæ res animum meum adeo excruciat, potius  
vt mori

Malim quā vivere. Vtinā mors in primo limine  
Vitæ extinxisset te, ne mihi causa dolorum fores  
Acolaste Acolaste, quam sæpe monui fideliter  
Ne perditis adhæreres pessime consortiis,  
Neve sineres blanditiis te capi muliebribus,  
Id quod timebam non sine dolore meo contigit  
Quam inique est comparatum, ut hi, quibus sunt  
filii

Obtemperantes & morigeri, his permittant nihil  
Et largiantur quoque pecuniam parcissime.





STUDENTES  
ACTVS V. SCENA I.  
ACOLASTUS.

*Trimetri.*

POSTquam delusus esset ab Ate Iuppiter  
Hanc crinibus arreptam deturbat cælitus,  
Nec unquam divorum fruitur commertio.  
Verum homines intergraditur veloci pede,  
Calamitates, & cædes miscens maximas,  
Eadem mihi nunc mille rixas seminat,  
Hic virginis pater, ex parte altera meus,  
Minantur mihi Geticis extrema affectibus,  
Alter si non, alter vero si duxero.  
Omnia sunt plena, quo me verto angustiis.  
Tot me circumvallant miserum mo' estiaë,  
Vt nisi me Deus eripiat è tantis malis,  
Ad extremam infœlix redigar insaniam.  
Audio patrem advenisse, hic mihi sunt jurgia  
Parata, quibus, hei mihi, jam tractabor modis.  
Sed ad Litas Iovis me vertam filias,  
Quæ tardis & lentis sequuntur passibus:  
His supplex ero, verbaque dicam precantia,  
Vt me velint eripere, è tantis cladibus,  
Infœlici qui cæpi amare sydere.  
Litæ, Litæ, servate miserum vestra ope.  
Ad vos venio consilium auxiliumque expetens,  
Approperate citis gressibus. Si vos mihi  
Auxilium denegatis pereo funditus.  
Si scissem ex hac re tot lites, tot jurgia  
Mihi futura, nunquam patrassem miser.  
Beatus ille, qui procul ab his vinculis,

*Sedulo*

## C O M O E D I A :

Sedulo vacare potest ingenuis artibus.  
 O si reverti elapsa possent tempora,  
 Nunquam me tot curis incautum involverem.  
 Recte dictum est, damnosas esse fœminas  
 Bonas malasque. Nam quantumvis castitas  
 Laudetur Penelopes, tamen procis fuit  
 Exitii causa, quos Vlisses sustulit.  
 Et Asiæ toti dedit exitium Tyndaris,  
 Sic mea Deleasthisa mihi peperit maximas  
 Rixas, sed ad patrem meum me conferam,  
 Vt audiam num hac de causa succenseat.  
 Mens hercle præfagit mihi infortunium.  
 Sed ni fallor, video patrem, huc accedere.

## ACTVS V. SCENA II.

EUPROSITUS, ELEUTHERIA:

*Trochaici, Catalectici. Tetrametri.*

**A** Vdin' uxor, num fuit hodie hic Acolastus?  
 ELE. Non arbitror.

EVP. Illud timeo, ne effugiat, neve aliorsum se  
 conferat. (procrastinat,

Quam suspicionem parit mihi, quod semper  
 Et quod rarius nunc huc adventat solito. EL. ne  
 time.

Ingenuus adolescens est, non faciet, concœpi  
 bonam

Spem, Sed fortasse ad cœnam veniet. EVP. Igi-  
 tur cœnam para.

Ego paulisper in forū prodibo, nū quid sit novi  
 Auditorus, cujus nostra secula sunt plenissima.

## STUDENTES

## ACTVS V. SCENA III.

EUBULUS, ACOLASTUS,  
PHILOSTORGUS.

*Tetrametri, Iambici, Catalectici.*

**E** Ho bone vir, hodie faciam ut scias quanti  
pater sit

Faciendus, non impune feres quod vitiaſti pu-  
ellam, (leſti.

Et eandem me invito vis ducere in uxorem ſce-  
ACO. Pater, da veniam, quæſo pater. PHI. non  
te dignum facis. EVB. quid ?

PHI. Occides filium ? EVB. morietur. PHI. ah  
ſævire noli.

ACO. Hoc eſt eſſe patrem ? EVB. atque hoc eſt  
eſſe filium ? ACO. Miſer ſum.

PHI. Eubule, non hercle ſinam ut facias me præ-  
ſente cædem.

Cedo, num tu tam facile potes animum exuere  
paternum ?

EV. Non exuerem patris animum, perfricta  
fronte quod me

Patrem non agnoſcit, cujus dictis merito obſe-  
cundet.

Scis quo pacto ab ineunte ætate mihi contrariatus  
Et tergiverſatus ſit, qui me invito patre ducet  
In uxorem iſtam meretricem, non ſine dedecore  
ſummò,

Cum non obſeryet ſtipēs quætæ inſidiæ ſibi ſtru-  
antur.

Quæ nemini obtrudi possunt, inescant sic amâtes:  
 Ut quas vitiaverint in uxores ducant easdem.

Ante aliquot annos si duxisses uxorem, vir esses.  
 Vide ut fiet, quam nullum ædat ingenui signum  
 pudoris. (possit

Age, accerse Euprositum videbimus quo jure  
 Fibi nubere, sui ipsius prodiga cum sit pudoris.  
 Vel potu vel cibo porrexerit huic meretrix amorē,  
 Adeo est submersus in amore, ut non abstrahi  
 inde possit.

PHI. Humanius age, vix enim ut non ducat ob;  
 tinebis.

EVB. Aspera verba nihil si proficiunt, quid le-  
 nia moverent?

Sed nisi fallunt oculi, procul video istos advenire.

*ACTVS V. SCENA IV.*

EUPROSITUS, ACOLASTUS, EU-  
 BULUS, PHILOSTORGUS.

*Senarii, Septenarii, & Octonarii.*

**I**Tan' dicis te tam impotenti esse à patre  
 Animo tractatum, & nolle ut ducas filiam  
 Meam, quam vi tute, ut nosti compresseris?

ACO. Sic est, & si non adfuisset Isgeestus  
 Pater Philostorgus, necasset me, satis,  
 Crudeliter paterni oblitus muneris.

Sed expectant nos, accedamus ocius.

EVP. Est ne ille tuus pater, qui dexteram tenet?

IS. Ille est, promissam barbam qui mulcet manū,  
 Qui cogitabundus declinat in terram caput.

STUDENTES

**EVP.** Accedam & alloquar, Salvete plurimum.

**PHI.** Habemus gratias. **EVBV.** Age bone vir, tu coges filium (ve legibus?

Menm, ut ducat gnatam tuam? quo jure? quibus-

**EVP.** Hujus regionis, namque apud nos cautum est si quis virginem (luat

Vitiaverit, ducat eandem, aut capite pœnam

Quare si non vult, ego procedam jure & legibus.

**EVB.** Egregiam legem, quæ fenestram patefacit libidini.

Nam si quis habuerit domi maturas filias,

Ita ut nemini easdem poterit obtrudere,

Hac ratione in nassam pelliceret adolescentulos

Rerum imperitos, ut vitiatas ducerent, (ne,

Atque sub honesto posset lenonem agere nomi-

Et peregre proficisci, ut major sit his occasio.

Quin virgines sunt vigili adservandæ custodia,

Arcendæ à juvenum crebra consuetudine.

**EVP.** Duram profecto mihi demandas provinciã

Siquidẽ mallẽ suũ custos esse potius, quã virginẽ

Hanc custodire, sui quæ custos esse non potest.

**EVB.** Veterator. **EVP.** hem quid dicis? **EVB.** di-

cebam gnatum meum

Tuam non ducturum esse filiam. **EVP.** quibus

rationibus (excesserit

**EVB.** Nam filius vicesimum quintum cum non

Annũ, sui juris nõ est, nec quicquã sine parẽtibus

Suscipere audet, ne minimum, non dicam quod

matrimonium

Contrahere possit invitis parentibus.

Quare tuam gnato meo locare filiam

Non poteris, nec debes, cum mihi subiectus sit  
adhuc filius.

EVPR. Sit tibi subiectus adhuc: mihi mox per  
legem erit,

Quæ coget gnatum aut ad mortem aut ad matri-  
monium.

EVB. Itane? EVPR. Videbis quid fiet. te saltem  
pessime

Bipedum. EVB. quid? nisi contineas os, silentium  
Ab hoc pugno impetrabo. PHIL. Eubule, sinas  
me tibi loqui.

Iracundior es: animum ferventem rege.

Audi virgo vitata est: remedio

Malum hoc indiget: & præsertim inculpa Aco-  
lastus est.

Quamquam Deleasthisa haud plane immunis est.

Debuit uterque egisse res paulo prudentius:

Et ille & illa peccavit; sed sexus imbecillior

Minori crimine delinquit: quia suos

Vix regit affectus: notumque est, Iuvenum  
libidinem

Insidiari puellarum teneretudini.

Qui sciētes quod se facile dedunt amoris virginibus:

Confortiis illarum intersunt frequenter, & ibi

Facile credulis imponunt facile.

Primo per verba struunt ad stuprum viam.

Excogitantur nomina quibus puellas vocant:

Tum sunt in usu diminutiva. audiunt nihil

Puellulæ, nisi meum oviculum, mea anima,

Animula mea, blandula mea, vita mea, lux, cor-  
culum meum.

Post hæc extra urbem invitantur: ad id cimbulam  
 Paratam habent aut currus. in itinere  
 Hospitiū intratur: caupo forte haud ignarus rei  
 Illis locum parat in soluario cubiculo.  
 Vina afferuntur, sanitarique dicantur scyphi  
 Præsentis Matronæ. dein liberiores mero  
 Et osculationibus & pressionibus  
 Labiorum & papillarum, & ventris stimulant  
 Libidinem. Quid tum? si succumbunt venenis  
 æstui.

(Videas mirum spectaculum) succumbunt simul  
 Iuuenibus.

Nec nisi ciassæ surgunt. sed fortiores resistere  
 Queunt libidini. Differtur in tempus aliud.

Ita agunt cum honestiori genitis puellis loco.

At cum sunt ancillæ, delinitæ primum donariis  
 Absente hospite stuprantur, cum sternunt forum.

Quod nuper vicino Amoræo contigit.

Vt & obstetricis cujusdam filiæ.

EVB. Narras fortasse vera: sed non credo filium  
 meum,

De stupro illam interpellasse. Videtur quippe  
 omnibus

Verisimilius, manibus pedibusque dedisse, operā  
 Deleasthisam, ut in suum amorem Acolastum  
 traheret.

Acolaste num ita se se res non habet? ACOLA.

Eheu Pater,

Æt nam in pectore seu fiet Veneres & cupidines.

EVD. Hoc non rogo; rogo cujus sit commissa  
 fornicatio.

Culpa,



Culpa; tuane, an illius? ACO. & illius & mea.  
 PHI. Vides, ingenue confitetur. quid superest  
 amplius?

Nisi ut in uxorem ducat corruptam crimine suo.  
 Nam plectet nolentem lex aut in nuptias  
 Debebis consentire: de duobus his nunc elige.

ACO. remitte delictum, pater, & me serva à  
 supplicio. (stuli.

Da Deleasthisam in uxorem: ejus pudorem ab-  
 PHI. Concede: quandoquidem sic postulat ne-  
 cessitas. (cum ea.

EVB. Eat, habeat, assumat sibi, valeat, vivat.

PHI. Sed debet nuptiis dici dies. EVB. dicat diem.

Pro lubitu, nihil ad me: ab eo. PHI. consensit: furor.

Iste quidem dæsæviet: at leni animum patris  
 quantum potes.

Vade Euprosite, tam fausta nunciâ Deleasthisæ,  
 Et quæ ad rem maxime necessaria sunt præpara.

*ACTVS V. SCENA V.*  
 ISGEESTUS, DANISTA.

*Scazontes, & Septenarii*

**R** Idete mecum, belle rem meam gessi:

A nuptiis reversus ebrius Acolasti,

Hospitium adii: ut cerevisiario potu

Me implerem; nam merum non desiderabam:

Quod haustum avidius cum ferculis cænæ

Revomui prope Vestalium pontem.

Tabernam ingressus, quam frequentius calco,

Quam templum, sociis me meis statim adjungo:

Hi credentes me sobrium ( licet tantum

Hoc sesquianno ter contingat ) in Chloes.  
 Dominæ salutem bene plenum scyphum libant.  
 Ego , ne viderer iis deesse , respondi.  
 Inebriatus inde vomui rursus,  
 Et esculenta tot frustra stomacho eiec:  
 Ut crederes me gallos , perdices totas,  
 Placentas & laridum panesque carnesque  
 Analectaque vorasse , simul impetu quodam  
 Gutturæ se effundebāt salguma, merum, mulsum,  
 Silentio sunt involvenda quæ narro.  
 Pergam. post hos vomitus alacrior paulo,  
 Facinus feci posteris relinquendum.  
 Furatus nempe anates sum : dum petit cellam  
 Ut potum promat hospes. Inde projecit  
 Foras me , & aliud hospitium sui ingressus;  
 Sed iudiciis meis me prodidi forex:  
 Narrarem plura : nisi , quid nuptiis hisce  
 Sit intus factum , scire magis amaretis.  
 Placatus Eubulus ipse ad nuptias venit.  
 Is duxerat simul secum meum Patrem,  
 Ut interesset nuptiis futuris. Quæ  
 Futuræ essent misero seni ultimæ ; quippe  
 ( Dum fistulis , cantu , citharis strepunt mensæ )  
 Eheu repente in deliquium incidit mentis.  
 Vbi ad se rediit paulum , prodiit sudor  
 Vehemens è poris , post illa gravior morbus  
 Affixit illum : nam dejectione alvi  
 Cruenta tortus admodum , jubet sese  
 Deferri in lectulum , medicus vocatus mox  
 Pleuritidem esse judicavit , ægroque  
 Benedictum cardium & Theriaca præscripsit,

Ut & apium, syrupumque, herbamque mirarentur.  
 Sed ingravescente dolore, ubi necem sensit  
 Adeste, jubet vocarier meam matrem.  
 Ut, cheu! antequam concederet fatis  
 Ante torum matrem duceret in uxorem:  
 Nam concubina fuerat hactenus, conjux  
 Non fuerat, & nunc ego legitima proles sum,  
 Io luctus, Io dolores! jam alligabo me  
 Gladio, ut horreat, qui me videt tantum,  
 Quamquam brevi statura sum: frequenterque  
 Mutabo vestimentum, ne ambigant ciues  
 De opibus luculentis fatis, relictis à  
 Patre, præterea (nam indulgere genio semper  
 Proposui) sive vocatus sive non, absque  
 Tamen famæ imminutione, conviva  
 Symposia largientium ero. rogas forsitan  
 Qua pacto strenuus essem mysta Bacchi: ~~durus~~  
 Vix sine dispendio pecuniæ grandi  
 Hæc sacra constant. belgici dabunt versus,  
 Quod matris arca non dat. igitur primum  
 Ab hodiernis commodabo Poëtis  
 Verborum flosculos, & quod in usu non  
 Est, aut antiquatum, sic, ut nisi Catti  
 Abhinc bis millenos intelligant annos,  
 Et præter hos nullus: deinde quæcunque  
 Vocabula sequipedalia sunt, utar,  
 Vbi vel nuptiæ desiderant carmen,  
 Vel Disputationes, vel rogi lessus.  
 Sed ab epithalamiis abhorreo paulum:  
 Quia nuper illis obtinui nihil. quippe  
 Poëtaxi me omnes propter scyphos nostis.

Multum autem ex disputationibus lucrī  
 Percipio, & semper succedit mihi pulchre.  
 Semel vero ( quod doleo ) non vocatus sum.  
 Ad computationes : ordini quamvis  
 Doctorum insertum cecinissem, Batavisque  
 Camænis transcripsissem sæculis quendam.  
 Id adeo movit mihi bilem, sim ut invectus  
 Satyrico carmine intitulos honoresque  
 Datas eruditioni, Academiæ husto  
 Consensu : at mihi malum cacayeram turdus.  
 Nam post ingentis pænitiæ signa  
 Et deprecationes hoc mihi crimen.  
 Impune fuit tantum, censoria virga  
 Professorum sic correctus : ut ea in mentem  
 Haud facile iterum venient, ego huc usque  
 Me quasi Meronen, Biberumque descripsi,  
 Et certe gloriator me liberi sacris  
 Initiatum mystam : nam quod decus majus  
 Quam esse ebriosum, isto superbio totus  
 Titulo, si quis studiosum me vocat juris,  
 Plagiariū me vocat, idē enim est, ubi haud addit  
 Titulum ebriosis, ita toti notus orbi sum,  
 Virisque, fæminisque, at fæminis raro  
 Exemplo : referam casum. Habstravat il. ustris  
 Puella & opibus & arte pingendi  
 Et docta modos dulces vicinia in nostra.  
 Hanc forte totus inebriatus accessi,  
 Ut ad scenicos uicem adducerem ludos.  
 Consenserat, illa cum cubiculum sese  
 In aliud confert, sibi ut aptaret ornatum.  
 Ego interea vomui non parum, sic ut,

Totum conclave fœdarem , sed ( en lusum )  
 Ne animadverteret hæc pallio inverso  
 Tacite purgavi . conspurcaverat quicquid  
 Liquor odoriferus suavisque stomacho ejectus.  
 Tum crederes spirare pallium , tinctum  
 Meo vomitu amomum , thus quæque lon-  
 ginq̄uis  
 Panchaja mittit oris , at gravis forte  
 Sum garrulitate mea nimia omnibus vobis:  
 Garrulum enim me esse scio , sum etiam secunda  
 hora  
 Instat noctis , domum tendam : licet spissæ  
 Tenebræ sint : ibo , ibo , licet viam ignorem .  
 Propter temulentiam , cantuque nocturni  
 Itineris devorabo molestias omnes.

*Imple , Silene , cantharum ,*

V makker vvaght een dronk.

*Quamvis vacillem ebrius,*

V Esel is nogh jonk:

*Qui potest vix madidum,*

En dan vvat syvalter been.

*Per angiportus varios*

Vri saghtjes voeren heen.

*Et , tu puer bis genite,*

Ik suyp met u om strijt.

*Si licet modo vomere;*

Ghy bent het verrequijs

*Et si juvarent Menades,*

Wanneer ghy komt te kort:

*Et biberent hoc Satyri*

Dat uyt u bakhuis stort.

STUDENTES

*Qui stomacho scit condere*

Drie vaenen in een uur,

*Quid calfacit in hyeme*

Sijn kannen by het vuur?

*Is demum est mirabilis.*

En soo ben ik een geest;

*Sed muta tantum literam,*

Ik vword een dronke beest.

*Est grande hoc elogium.*

Hi magh gaen voor een man.

*Id dicent ipsi sobrii*

Van die soo tullen kan.

*Tum dubitabunt medici,*

Of niet in soo een buyk:

*Tot sese addunt pocula,*

Als vissen in een fuyk.

*Nec valet arithmeticus,*

Al viel hy op sin knie;

*Hæc supputare numeris,*

Of door de regel drie.

*Quis vidit unquam chemicum,*

Die so ras diste leert?

*Quod potus est fit lotium,*

Eer jemant sigh omkeert.

Aperi actutum ostium. DAN. Ho, ho! quis tam graviter pulsat fores?

ISG. ego DAN. quis ego? nullus intromittitur, ob neminem

Surgo electo. ISG. Miser, vocem an tu non nosti meam?

Sum Isgeestus. DAN. tune proba anima? expecta, accendam facem. Quid

Quid huc venis tam sero? ISG. Vix loquor ita  
sum ebrius.

Pecuniam accipe tantum, quam patri dum viveret  
Emunxi ab eo, dabitur crax colloquendi occasio.

DAN. Vereor, vereor ne in aliquod incurrat  
periculum.

ISG. Profecto male mihi consului, quod non  
manferim.

Apud Danissam. redeam? non non, praestolabitur  
Ancilla me, fraterque & mater erit anxia.

Igitur ibo, ire vel si nequeam, repam nunc domum.  
O si jam bajulus exciperet cadentem vehiculo,

Vt nuper! cum etiam officium nec pes nec face-  
ret manus.

Eo, valete & plaudite, eo fata quo trahunt.

DE

DE  
LUSTITUDINE

STUDENTICA.

**H**A, viva fratres, viva precor este corassi,  
Nam vos ex animo lator adesse meo.  
Este Corassi hodie, mihi missa pecunia praesens  
Tristitiamque tulit, laeticiamque dedit.  
Et si non esset mihi missa pecunia, quid tum  
Possem hodie nihilo laetior esse minus?  
Crastina non lux est mihi curae dum modo Sluckopf.  
In bona cum Biero dat mihi vina fidem.  
Ha falala falala Spelmanni Brumite in unum,  
Et musicae specimen promite dulcisonae.  
Vos famuli Kannis Bacchum domergite ueffis,  
Et date Rehenano pocula plena mero.  
In glasis etiam longis cerevisia spumet,  
Servet & alternas potio iusta vices.  
Me largum hospitibus cupio & praebere benignum  
Abiectum parcus possidet ingenium.  
Vos pueri crassum, primum Biera indite in Hum-  
pum,  
Hoc fundamento est aedificanda domus.  
Singulus hunc hospes quamprimum utsupere  
debet  
Haec est Musaei regula prisca mei,  
Ha falala falala Spellmanni struekite gigis  
Et mellite tua Concine voce puer.  
Wel komni quoniam nunc estis, quotquot adestis  
Vos omnes trevvo dreckite corde rogo.  
Et qui cum venia venit, precibusque rogatus  
Cum venia cupio cedat & ille mea.

Hunc-



## C O M O E D I A.

Hunc Humpum dominus capat velit esse corassi  
 Nos decet hunc hilari perdere fronte diem  
 Interea reliqui circumbibite ordine donec  
 ( Non faciet longum ) hic Humpua inanis erit.  
 Ha ! falala falala Spelmanni Klingite lulis  
 Et mellite tua concine voce puer.

Munser Erice ? bibat dominus , bibe Munser.  
 Adame

Et Munser vultum porrigite lane tuum.  
 Ecce puer vacuum cur cessas sumere vitrum?  
 Annon quod nobis fundere possis , habes?  
 Regis ad Exemplum totus componitur orbis,  
 Aspiciate exhausti , vos facietis idem.

Hoc puer unusquisque mihi bibet ordine vitrū,  
 Ut peragat juste quilibet ergo vide.

Ha falala falala Spelmanni pipite sinkis  
 Et mellite tua concine voce puer.  
 Munser Harufce quid est ? non sic , non Munser  
 Harufce.

Et tu sumpsisti perfide ? redde puer.  
 Redde inquam vitrum , nisi se cervi supinet,  
 Iam fiet cervix ista supina tibi.

Quis bibit ulterius ? quid id est mi candide soski?  
 Pocula cur toties concumulata tenes?

Aut nihil est intus ? nihil est , proh-jupiter , heus tū  
 Quid facies domino disce bibente tuo.

Heus puer ? hem klisk klask capis hoc , viden im-  
 probe multa

Orba super mensam pocula stare mero.  
 Quin capis atque imples atq; ista impleta reponis,  
 Aut implebo meis hæc tibi terga flagris.

Functus-

STUDENTES

Functus es officio? nunc snorcum supite fratres  
 Skelm der salsa bibit, fur sit & ille latro,  
 Ha falala falala Spelmanni Brumite Fidiis,  
 Et mellite tua concine voce puer.  
 Non satis esse reor vitrorum, sumite plura  
 Ne defint famuli edico cavete mei.  
 Nec nummis cupio nec parci sumptibus ullis  
 Dummodo procedant omnia magnifice.  
 Non habet nummos qui nummis nesciat uti.  
 Turpis avarus homo est, vilis avarus homo est.  
 Sed vos qui reliqui remanetis ponite mensam,  
 Et trina ad summum syllite poela labrum.  
 Ne putet exemptum se quisquam legibus, oro,  
 Principis est nobis magna bibenda salus,  
 Principique-pissę etiam documentum præbeat ipse  
 Hospes, ut hospitibus primus ego incipiam.  
 Alternate turbis Spelmenni, trumpite trumpum,  
 Tan tari tant tari tant tant tari tant:  
 Principis uxorem exhausti cum principe nostro,  
 Nos, quantum vidi, rite bibistis item,  
 Nunc proceres nostri sic postulat ordo, bibantur.  
 Quisquis & est patrię fidus amansque suę.  
 Tan tari tant tari tant, Spelmanni clangite trum-  
 pum,  
 Tant tari tant tari tant, tant tari tant tari tant.  
 Publica sit satis est potasse in-commoda, nunc ad  
 Privata o Socii vestra venite mei  
 Et Bacchi, charis pro sumite fratibus haustus.  
 Et pro dilectis sumite virginibus  
 Cum primis potet pulchram sibi quisque puellam  
 Et suus ad fundum devacuetur amor

Ha viva

COMŒDIA.

Ha viva virtute nova sic itur ad astra,

Ha fallala falala ha falala falala.

Ha falala falala Spelmanni pufcite trumpura

Tant tari tant rari, tant tari tant tari tant.

\* Porge puer cyathos. Mihi de domino bona  
semper

Quandoquidem fuerint multa relata meo,

Illius optavi mihi consuetudinis usum,

Esse inter Socios pais quotacunque suos:

\* *Fraternitas.*

Et nunc percupide vellem, nisi forte gravetur,

Institui fidam fratris amicitiam.

Si dominus fratrem si non contemnat amicum.

Hæc ipsi in signum pocula trina bibam,

Dum facio egregium Spelmanni upblasite trum-  
pum

Tant tari tant tari tant, tant tari tant tari tant

Funditus ista vides me juste pocla bibisse,

Et quali cupio te vacuare modo.

Hic jam frater habes à me tria poculo vini,

Optime cum dextra frater habeque fidem.

Resp. Hoc me quandoquidem Dominus dignatur  
honore,

Muneris æternus debitor hujus ero:

Spondeo me fidum, qualemque optesque ve-  
lisque

Non Pyladæ & nostrum vincet Orestis amor.

Quæ cupies, cupiam quæque abnuis ipse negabo,

Hæc testes sunt pocula trina: Salus.

Vt decet ære cavo Spelmanni emittite trumpum,

Tant tari tant tari tant, tant tari tant tari tant.

Trina

STUDENTES

Trina tibi iuste siccavi pocula frater,  
 Aspicias! huc iterum congere vina puer,  
 Restituo tibi nunc, quæ porxti pocula frater,  
 Promitto antiquam Teutonicamque fidem.  
 Nunc vicine tibi quoniam confedimus ambo,  
 Tu Gurgista meri Philoque supus ego.  
 Et sorbere pares & respondere parati,  
 Si non displiceant, hæc tibi forte bibam.

R. Cur mihi displiceant: etenim non alter ad istud  
 Aptior hic auris vescitur æthereis:

Pergito si qua potes sum poculum in utrumque  
 paratus

Haustu sive uno utragere sive decem.

Er setzt das Gläsflein an sein Mund / Run dari nella/  
 Run dari da dari da / runb dari da dari da.

Sein Sachen all hat er auch recht außdари Runddари  
 nelle/

Rund. dari da dari da Rund dari be dari da.

Ista propinavi Munser tibi proxime du must  
 Atque bescheiden Thun. Run dari da dari da.

Sic hausi ut manent & lachrymæ per tempora  
 multæ

Non est quod dubites de probitate mea,  
 Tergum obverte mihi, obvertam frater tibi ter-  
 gum,

Fidus ero, fueris seu prope sive procul.  
 Quam pulchrum unanimes fratres habitemus in  
 unum,

Quam bona sunt firmæ fœdera amicitiaë.  
 Nunc si præterea mihi copia virginis esset,  
 Perfectum plenis lustibus esset opus.

COMŌDIA.

Nec procul hinc habitat Satoris nata, venitque  
Mittere quem possem si quis adesset homo,

Tu puer ire potes, dic Lustificare volenti,  
Sed sic, ne causam, fare, resciscat anus:

*Stella* venire volet *Veneris* fortassis & una  
Hoc potes & *Primæ* dicere *materiæ*.

Ne cessa & quod se venturam Cluntia dicat,  
Fallor & anne ipsa est? inque vocata venit?

d Ha faler an faler an Spelmanni gnidite gigis.  
Et mellite tua concine voce puer.

e Sponte ne virgo venis pro qua nunc mittere vi-  
sum est,

An alio forsitan iussa venire viro.

Quicquid id est nobis nunc certe Cluntia nobis  
Expectata venis & peramata venis.

t Quid dixi? nobis? mihi & expectata venisque  
Forsitan & reliquis, sed peramata mihi.

Confideas mecum lateri latus addere fas sit,  
Paucaque cum Domina jungere verba mea.

Tutor ubi es? vinumne emendicabimur ergo?  
Hoc tibi proque tua virgo salute bibo.

Dij tibi dent bona multa & qualia munera speras,  
Vtpote vel bellum dent tibi bella virum.

Aspicias? Exhausti mea virgo fideliter omne,  
Hoc tuus ut facerem tempore fecit amor.

Funde parum puer ut cupide facileque bibatur,  
Quo bibitur dominæ vita salusque meæ.

Ha falala falala Spelmanni tangite lutas

Et mellite tua concine voce puer, (est

Quid? mea virgo mihi renuis? tamen ista necesse  
Pauca bibas, & quam sunt ea pauca vide!

Aut

STUDENTES

Aut si non biberis saltem continge labella,  
 O jam jam labris esca futura meis!  
 Iam liquor invideo tibi: formosissima tene  
 Ire per angustæ virginis ora licet?  
 Seu prece seu pretio mihi svavia sumere certū est,  
 Hoc primum certi pignus amoris habe.  
 Respuis? Oh, nihil es, rapiam tamen ista videbis,  
 Hoc cape & hoc super hoc desuper hoc super  
 hoc.

Virgo. Me miseram nō est sub sole rapacior ullus,  
 Vis his smusosis sit mihi magna locis,,  
 Quod si præscissem tam prompta venire negassem  
 Et melius fame parcere sic poteram.

Quin potius saltet dominus, saltare præopto,  
 Aut lepidos casto fabricet ore jocos.  
 R. Et fabricare jocos possum & saltare, priusquā  
 Id faciam, hoc cyatho te volo pauca soror:  
 Cumque soror dixi, capis hæc interprete nullo,  
 Scilicet ut biberis, sis soror inde mea.

Accipe nunc cyathum, quique est tuus ante, ani-  
 mumque

Sis soror atque animum fida repende tuum.  
 Neque voca fratrem fidenter meque tuiffa.  
 Teque tuiffabo fraterque eroque tuus  
 Respondes mea? sic, quod te deceatque juvetque.

Nunc saltare placet, nunc mea surge soror,  
 Ha falala falala Spelmanni spellite dantzum,  
 Ha falala falala, ha falala falala.

Miore Palatino bibimus, ne gutta super sit,  
 Vnde suam possit musca levare suum

u u - u u - - - u u u - u -

Falila falila li la, falila lila lila.

V, Mc

COMEDIA.

V. Me nimium amplexas, nimium premis, abstine  
tandem

Sedule, & in nullo docte tenere modum.

Et cupis abstineam mea lux, mea vita, meum cor?

Verba precor dicas hostibus ista meis.

Non possum aut faciam quin hæc animo dare cre-

Te si non cupido. semivolente tamen: (do

Et forsan cupido, Nam me mage lignea non es.

Nec lapides unquam tam caro mollis alit.

Improba ( quod decuit ) nunquam tamen oscula  
pronas

Aut media præbes obvia labra via.

Præbe tamen virgo, tantum semel obvia præbe

Labra precor. Sic, sic, sic volo, sic jubeo.

Arbiter ecquis adest, qui dulcia Basia jungi

Et videt amplexus? arbiter ecquis adest?

Nil moror, atque adsit videat, simul invideatque,

Interea hoc cape & hoc super hoc super hoc.

Multa quidem vellem, possem quoque dicere  
multa,

Deque mei magno pectoris igne loqui.

Sed non est locus hic, nec tempus forsitan istud

Liverit, ô tecum solus ut ista queam.

Et si confieri fas est, hac nocte rogarem

Cum sola virgo solus ut ista queam.

Sed vos quid facitis Spelmanni upklingite luti.

Et mellite tua concine voce puer.

Ia? quid ait mea virgo? aliæ? hac nocte rogavi.

Et reor hac fieri quod quoque nocte potest.

Ecquid ais soror alma? sinis? nunc voce gravaris.

Quod re, quæso velis id quoque voce dare.

Non,

STUDENTES.

Non, ais? at nihil esse vides quod amantibus ob-  
stet,

In scirpo nodum quæris inepta nimis,  
Nescio quid faciam Spelmanni trumpite pustum,  
Tant tari tant tari tant. Tant tari tant tari tant,  
Ha Bru heis, hirr ha, Bru heis, hirr ha, hasa, Bruu  
heis,

Hirr, hasa, hirr, hasa, hirr, hirr, hasa, hirr, hasa  
hirr.

Vpkrikunt multæ madefacta in jernia brillæ,  
Et vehemens capitiis spiritus astra capit,  
Ite domum Saturæ, venit Hesperus, ite capellæ,  
Vos de dumos à rupe videbo tamen.

Nam tempestivum est, nunc vos subducere Iun-  
gfræ,

Si qua quietis amans, si qua pudoris amans.  
An placet hos vestras confestim inducere in cedes?

Non hoc virgineum sed meretricis erit.  
Et facitis forsam dum se res fert ita, sed non  
Exequar hic vestrum dedecus, ite domum.

Impetus hic donec deferveat inde Lubido  
Si tanta est, placidos conciliate viros.

Hirr, hirr, hirr, Bru heis, Bru heis, hirr hirr, hasa,  
Bru heis

Hirr hasa, hirr, hasa hirr, hirr hasa hirr.  
Buu, Buu kirr, kirr, kirr, bru heis, bru heis, hasa  
bru heis,

Blu, ru, Wu, Iru, fru, Blu, ru, Wu, Iru, fru.  
Nunc super est mensam dantzandum & benkia  
circum.

Pocula de propriis præcipitate locis,  
Percipitate



Precipitate libros, quid cū tibi Bacche Camœnis?  
 Pierides vestris sedibus ite Deæ.  
 Et vos cum Musis tabulata cadentibus ite  
 Pulpita sunt dominis adjicienda suis  
 Quot nobis locus hic fratres obstacula præbet?  
 Vellantur summo flamma focusque solo.  
 Vos hinc ad terram lateres descendite vestram,  
 Donabunt facilem vitrea texta viam,  
 Aptius & sane meliusque jacebitis extra  
 Estis in angusta præpedimenta domo.  
 Sed tu cur cessas? quid stas Spellmannjapubes?  
 Iam decuit lituis constrepuisse cavis.  
 Tant tari tant tari tant, tari tant tari tant, tari tant,  
 tant,  
 Tant tari tant tari tant, tant tari tant tari tant.  
 Sat bibitum est, nihil est totam se fyllere noctem,  
 Et valido bukum rumpere more suum,  
 Quis valeat toties Humpos ut dragere tantos?  
 Tot numero pottas tot sine fine bekras?  
 In plateas fratres, in vicos tendite mecum,  
 Plurima restabunt & peragenda foris,  
 En ego desilio: quin Vos descenditis? aër  
 Liber & hic cælum conspiciturque solum.  
 Nunc ferro dextra, ferro radiate sinistra,  
 Et micet è saxis ignis ubique cavis,  
 Immensis totam replete boatibus urbem,  
 Vox etiam pueri vestra virile sonet.  
 Hurr hurr, hurr, Bru heis, Bru heis, Bru geis, hasa,  
 Bru heis  
 Hurr, hasa, hurr, hasa hurr, hurr hasa, hurr, hasa  
 hurr.

Bruu heis, Bru heis hey ha, hurr hey, hafa, hey, ha,  
 Blu, ru Wu, lru, fru, blu, ru, Wu, lru, fru.

Vix aliquid poterit nostris clamoribus addi.

Vel vigilem facerent Endymiona puto.

Miror, cum fuimus clamore & robore tanti.

Quam modo nos victos carcer habebat iners.

Nunc falila falila Fedlistæ gigite quiddam

Ha falila falila, ha falila falila.

\* Hic habitat pennalis homo consistite fratres,

Quid decet ante fores dispiciamus agi.

Nam tacitos dubio procul, indignatur abire,

Contemptumque putat se nisi dicta salus.

Ne facinus fratres, moneo committite tantum,

Sunt sua Cæsaribus sunt sua danda Deo.

Hei, dominus ne domi est? dominus descendat

ab alto

Et Reve de molli-rentia vestra thoro

Digneturque suo populares fame, valde

Supplicibus votis id precibusque rogant

St. cessate. tacet. gallinæ filius albæ (adhuc

Dormit adhuc. Dominus quæso ne dormit

Dormit adhuc dominus? Studiosi edico cavete

Conturbare virum forte dysypnus erit.

Sed quid, dormit adhuc dominus? grave surgere

forte est.

Quid? si per generix ubera lacta roget?

Quid? si eadem nato non immulgere negaret?

Aut aliqua ignaro mitteret æra patre?

O lepidam matrem! popularibus ostia pande,

Pro matris facient vota salute tuæ.

\* *Vexatio Pennalis.*

St. nihil

St. nihil auditur morbo fortasse laborat,  
 Vermibus erosus ilia putris homo.  
 Nec licet hinc nostris advertere vocibus aures,  
 Aut dormire facit se simulatque metu.  
 Aut non respondet, quia nullo nomine dictus,  
 Hei mihi quod memori nomen ab ore fugit:  
 Sed si non memini nomen, pro nomine quoddam  
 Arbitror titulos me meminisse tuos,  
 Hey Spol Worm, Pennal, Skelm, Dieb, Hunsfott,  
 Perenheyter

Num potes in quarto concoquere ista modo?  
 Visne upstare piger? visne intromittere gestas?  
 Aut solt in Copsfo kranck habitare tuo?

Nil agimus. fratres, frustra que precantia verba  
 Dicimus, hic opus est asperiora demus.

\* Ningite nuuc pueri lapides, effringite fenstras,  
 Et pluat in lectum saxea granda suum.

Ha saleran vos Spiel cantetis classica-leutæ  
 Et gravis horrifono Buccina marte strepat.

Hey klink, klank, klink, klank, patulo ne parcite  
 vitro,

Hey klink, klank, klink, klank, hey klini klank,  
 klini, klank

Arietet in portas cum fuste valentior omnis  
 Dimotasque suis subruat ordinibus.

Aut si non cedant, lacerare repagula tentet,  
 Et Mars audentes & Dea cæca iuvat.

Hey Buu duus, Buu duus, trompettæ classica  
 cantent:

Et gravis horrifono Buccina Marte strepat.

\* *A Edis pennalix at e expugnatio.*

Tant tari tant tari tant, tari tant, tant tant, tari, tant  
tant

Tant tari tant tari tant, tant tari tant tari tant.

Ha viva fratres, jam vulsi cardine postes,  
Ha fallala falala ha falala falala.

Dicite jo Pæan & jo nunc dicite Pæan,  
Difficilis cessit præda labore tamen.

Fregimus & portas & vitrum fregimus omne,  
Publica virtutis per malava ctavus est

Per varios casus per tot discrimina rerum.

In clausa Latium vidimus arce Iovem.

En vobis fratres monstrum! quin pessime prodis  
Lucifuga è latebris yemiculate puer.

Et pernas promis bene servatamque crumenam,  
Nos laute excipias principiceque decet.

Pro biero libri, pro vino pallia vadant,  
Hoc nulla leges religione vetant.

Fulminet è pelvi Doctorum umbraticus ordo,  
Non ullum nostræ jus habet ille necis.

Summa potestatis nos hinc fortasse relegat.

Debemus, quod si non fit, abire tamen.

Quid refert verò, cum sponte recedere tandem  
Constitui, si programmate jussus cam.

Ha falala falala nobis præsentia curæ,  
Crastina de se sit sollicitata dies.

Hic bene re gesta nunc descendamus amici,  
Et colaphum domino pro date nocte bona.

Hem! bona nox hospes, grates persolvere dignas  
Non opis est nostræ nisi diis so fure tibi.

Estne aliquis fratres qui sese upduſvere contra  
Driftit & in gassis obvius ense gradi?

Non

Non puto, sed superest id ut experiamur, ad unum.

Est virtus omnes posse bravare super:

Primus ego voces irritamenta vagantum.

Edam, vos reliqui state filete: Bru heis,  
Fallor & est forsitan qui contra clamat ullus.

St. Sa bru heis. Sa bru heis. Ha falala, falala.  
Est bene præcurram, vos post carecta latete,  
Hic lepus è Dumis exagitandus erit.

Hey Bruu heis, Bruu heis, Skelm, Skelm, Dieb,  
Dieb, Perenheuter,

Hey Perenheuter, hey hey Perenheuter hi'hey.  
Quid bone ais? Sum Skelm? Sis Skelm. Sum  
Dieb? & sis Dieb.

Quid? Perenheyter ero? Ia, Perenheuter eris.  
Si fure es melior, si Skelmo, sique pyrorum  
Servatore gradum siste pedemque refer.

Staque fugax sta sta daß ich der Heuäeren hole!  
Fort her sür Schelm Dieb / fort Perenheuter heram.

Quid cessas? trebidas? en quo se proripit? eja  
In ventos tumidæ sic abiere minæ.

Iam nusquam est, abiit, fugit ilicet ocior Euro.  
Matura capiti consuluitque fuga.

Sed vos lusores quid sic frigetis inertes  
Iam nulla est vobis spellere cura magis?

Pol certe Vestris nisi vos upluditis harpis.

Iam nostræ ludent vestra per ora manus. (pes?)

\* Quid? satis est, inquis? murrisque pigerrimi sti-  
Hos primum pugnos præmia digna vora.

Ad murum frates buukosas stoffite lutas,  
Ballettas murus flagere & ipse potest.

\* *Pulsatio Spelmanorum.*

STUDENTES

Ipse ego gignas cum sedlis omnibus alte  
 In pertreccoso baphitisabo luto.  
 Hey fugitis trunci nebulones, tutius istud  
 Fortassis multo jam satiusque fuit,  
 Iam satis est fratres, instant confinia lucis  
 Hanc hilarem noctem sumpsimus atque diem.

*Pulsatio*

SPEELMANORVM.

*Valete, & se vobis placuimus.*

*Plaudite,*

*Tres*

*Tres studendi modi parum utiles*

**N**on bene fit studium quodcunque fit ante  
fenestram,

Nec valet in lecto, nec valet ante focum.

Flamma nocet libris studium impedit ante fenestram,

Visa Venus: somnum lectus inire monet.

Ergo relinque focum, lectum simul atque fenestram:

Major & è studiis sic tibi messis erit.

*Studioſi Characteriſmus Belgico-Latinus.*

**L**vgduni studuit quidam Pfaltista,

*Die zijn vaderlick goet meeſt al verquiſt hadt,*

Muſicus erat atque Cithariſta

*Hy minde een meiſken, en leider liſt na,*

*Om haer te behagen op alle termine,*

Experientia multa docet ſine fine,

*Dat beiboonde hy haer bewiſende,*

Quod amanti nihil ſit difficile.

*Als hy een hoentken opkloef vers gebraden,*

*En daer toe een ſtoep wijn in ſyn mach laden,*

Cupidinis inſtar erat amænus.

In dictis ac factis totus obſcænus;

Nam ſine Cerere & Baccho friget Venus.

*Een kaertken te ſpelen in plaets van ſtuderen,*

*Libros vendere, en t' gelt te verſmeeren,*

*Een nachtken te tictacten of verkeeren:*

*Sou oock een Eeſel ſoo niet wel wat leeren?*

*s' Avonts op ſtraet te ſcrappen, tieren, en baren,*

Et alta voce, ſta, ſta, vociferare;

*Doch te vluchten, ſoo hem een muys komt tegen*

Scirpo armatus in plaets van een deegen;  
Tanta magnanimitas dient die oock verſwegen?  
Neen, t'is beter gelooſen als ſlagen gekregen.  
Per mille Dæmones ſwoer den vromen Iohannes,  
Gans Droes ick moet ſien wat dit voor een man is!  
t' Rammelter en ruyster al watter ontrent is:  
Cor meum pejus eſt, quam cor ſerpentis.  
Broeders wat dunct u of dit geen ſtudent is?

## De quodam Studioſo

*Quidam literarum ſtudioſus cum  
magnos ſumptus feciſſet, quorum ra-  
tionem patri reddere non poterat, do-  
mum literas mittit, quibus ſe mor-  
tuum eſſe ſcribit, & patrem orat, ut  
certam ſibi pecunie ſummam mittat,  
quo honeſte ſepeliri poſſit*

F I N I S.